SYLVA ANACHORETICA

ÆGYPTI
ET
PALÆSTINÆ.

Figuris æneis
ET
BREVIBVS VITARVM
ELOGIIS EXPRESSA.

ABRAHAMO BLOMMAERT
Inuentore.

BOETIO A BOLSVVERT
Sculptore.

ANTVERPIÆ,
Ex Typographiâ Henrici Ærtssij.
Sumptibus Auctoris.

CIↃ. IↃC. XIX.
1619

Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum de laude Eremi.

O DESERTVM
FLORIBVS CHRISTI VERNANS!
O SOLITVDO
IN QVA
ILLI NASCVNTVR LAPIDES
DE QVIBVS IN APOCALYPSI
CIVITAS MAGNI REGIS
EXTRVITVR!
O EREMVS
FAMILIARIVS DEO
GAVDENS!




SIMILIS FACTVS SVM PEL-
LICANO SOLITVDINIS. Psal. 101.
Bolswert fecit.

ADMODVM REVERENDO
DOMINO

ANTONIO
DE WINGHE

LÆTIENSI
ORDINIS

S. BENEDICTI
ABBATI.

ADMODVM R.^DE DOMINE,



Ene cesſit Eremitis meis metatoria ſua. Recordantur etiamnum quàm læto vultu, quàm liberali manu eorum exceperis exuuias, quàm hilari animo eorum dicta factaque notaris. Veniunt nunc ipſi, & ſuâ ſe ſpecie repræſentant; quin & curtam ſupellectilem ſuam ſecum

deferunt, caucum, psiathium, ciliciū. Formidolosis quidem antris hærent, sed inde celeriùs cæli atria penetrant: seminudi aëris iniurias excipiunt, sed sat tecti sunt, qui sub Christi vmbra latitant: terræ velut insepulti horrent, deprecatorias tamen ad cælum lacrymas mittunt. Veniunt igitur ad Te, humani generis legati. Non quærenda illis loca lautia; suis ipsi antris, suis tuguriis, suis lautumiis sunt contenti. Ne labora de ferculis; inemptis dapibus famem sedant, dactylis, oleribus, lapsanis. Seu ruri seu in vrbe sunt, OMNIA secum portant.

Effigies habes ab amica manu; quæ vt gratiores essent, placuit amico breuia è Vitis Patrum concinnare elogiâ. Quæ Auctorum ferè verbis dedit, ne fucum faceret. Vale.

T. T.

IR. S.I.

HIERONYMVS

EPIST. I.

AD

HELIODORVM.

QVID *agis frater in sæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum vmbræ premunt? quamdiu fumosarum vrbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis adspicio. Libet sarcinâ corporis abiectâ ad purum ætheris euolare fulgorem. Paupertatem times? sed beatos* CHRISTVS *pauperes appellat. Labore terreris? at nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere? sed Dominus tecum iacet. Squalidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum* CHRISTVS *est. Infinita eremi vastitas te terret? sed tu paradisum mente deambula. Quotiescumque illuc cogitatione conscenderis, toties in eremo non eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis? sed qui in* CHRISTO *semel lotus est, non illi necesse est iterum lauare. Et vt breuiter ad cuncta, audias Apostolum respondentem:* Non sunt, *inquit,* condignæ passiones huius sæculi ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Rom. 8.* *Delicatus es, frater, si & hîc vis gaudere cum sæculo, & postea regnare cum* CHRISTO.

S. Basil. lib. de laude Vitæ Solitāriæ.

VITA

SOLITARIA

CÆLESTIS DOCTRINÆ

SCHOLA EST

DIVINARVM ARTIVM

DISCIPLINA.

ILLIC DEVS EST

TOTVM

QVOD DISCITVR.



Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cauernis terræ. Paul. Hebr. 11.

Abr. Bloemaert Inuēt. Boëtius. A. Bolsuerd. sculp. et excudit.

Matth.4.

IESVS DVCTVS EST IN DESERTVM.

Ambros. lib. 4. in Luc.cap.4.

CONVENIT *recordari, quemadmodum de paradiso in desertum Adam primus eiectus est, vt aduertas, quemadmodum de deserto ad paradisum Adam secundus reuerterit: vides enim, quemadmodum suis nodis præiudicia resoluantur, & suis diuina beneficia vestigiis reformentur.* Genes.1. *Ex terra virgine Adam,* CHRISTVS *ex Virgine. Ille ad imaginem Dei factus, hic imago Dei. Ille omnibus irrationabilibus animalibus, hic omnibus animantibus antelatus.* Genes.3. *Per mulierem stultitia, per Virginem sapientia. Mors per arborem, vita per crucem. Ille spiritualium nudus, arboreis se texit exuuiis: hic sæcularium nudus, corporis non desiderauit exuuias. In deserto Adam, in deserto* CHRISTVS. *Sciebat enim vbi posset inuenire dãnatum, quem ad paradisum resoluto errore reuocaret. Sed quoniam sæcularibus indutus exuuiis redire non poterat, nec paradisi incola potest esse nisi nudus à culpâ;* Coloss.3. *exuit veterem hominem, nouum induit: vt quia solui non queunt diuina decreta, persona magis quàm sententia mutaretur. Sed qui in paradiso sine duce iter amisit acceptum, quemadmodum de deserto sine duce iter repetere posset amissum, vbi tentationes plurimæ, nisus ad virtutem difficilis, lapsus facilis ad errorem. Plenus igitur* IESVS *spiritu agitur in desertum: consilio, vt diabolum prouocaret; nam nisi ille certaßet, non mihi iste vicisset: mysterio, vt Adam illum de exilio liberaret: exemplo, vt ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus inuidere, & tunc magis esse cauendum, ne mysterij gratiam deserat mentis infirmitas.*



Ductus est IESVS in desertum.

1.

S. IOANNES BAPTISTA.

Petrus Damian. serm. 1. de Nat. S. Ioannis Bapt.

BEATVS iste puer, ad eremum spiritu ducente deductus est: nec obstitit ætatis infirmitas, quam maiestas Domini fæcundabat. Spiritus enim sanctus non attendit differentiam sexuum, fragilitatem corporum, temporum annositatem; sed quemcumque, & quomodo vult, dignantissimâ replet benignitate. Reliquit IOANNES *mundum, homines fugit, nescit patriam, parentes adspernatur, & in solius diuinitatis apicem beatæ contemplationis figit obtutus. Mira rerum conuersio, hominem vix mundum ingressum, mundi fugere gloriam, & sæculi cupiditates non solùm obliuisci, sed & nescire, perpetuumque cum diuinitate stabilire consortium. Recessus montium, siluarum anfractus, & vallium subteriacens vastitas, puero Patriarchæ domicilia præbuerunt. Non opponatur mihi Jeremias, nec prædicantis pueritiæ virtus audeat obuiare: Quia si ille consecratur in Prophetam, hic in plusquam Prophetam: & licet ille populo futura prædicet, non tamen conuersationis humanæ declinat adspectus. Sic, sic* IOANNES *ætatis supergressus infantiam, & nobilioris generis generositatem oblitus, soli vacat diuinitati: forma vitæ, Monachorum propositum, Anachoretarum principium, totius religionis assertio.* Habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos eius: esca autem eius erant locustæ, & mel siluestre. *Rigida vestis, & durissimis hispiditatibus circûtexta, rigore squalerifero corpus afficit Patriarchæ, carnemque tenerrimam immatura districtio disciplinæ feritate coarctat, teneros artus & sacratiore Spiritu superfusos, continui quassat longitudo martyrij. Cibus autem eius qualis erat? Non quæruntur Phasides aues, nec per totam discurritur regionem, vt Patriarchalis stomachus impleatur.* Sed erat, *inquit,* esca eius locustæ, & mel siluestre. *Cæli rore pascitur, & animalis vilissimi satiatur edulio, nihilq; coctum accipit ieiunantis austeritas.*

Hierem. 1.

Matth. 11.

Matth. 3.



S. Joannes Baptista.

2.

x. Ianu.

S. PAVLVS I. EREMITA.

Ex D. Hieron.

SVB Decio & Valeriano persecutoribus, apud inferiorem Thebaïdam, cum sorore iam viro traditâ, post mortem amborum parentum, in hæreditate locupleti PAVLVS *relictus est, annorum circiter quindecim, litteris tã Græcis, quàm Ægyptiacis apprimè eruditus, mansueti animi, Deum valdè amãs. Et cùm persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & secretiorẽ secessit. Verùm sororis maritus cœpit prodere velle, quem celare debuerat. Quod vbi prudentissimus adolescens intellexit ad montium deserta confugiens, grandi speluncâ se conclusit, omnem ibidem in orationibus & solitudine ducens ætatem. Cibum & vestimentum ei palma præbebat. Cùm iam centum tredecim annis beatus* PAVLVS *vitã cœlestẽ in terris ageret, & nonagenarius in aliâ solitudine moraretur* ANTONIVS, *monetur hic diuinitus, vt ad visendũ* PAVLVM *properaret. Ad quem vbi peruenit, dum in mutuos miscentur complexus, propriis se salutauêre nominibus. Coruum interim in ramo arboris consedisse vident. Qui inde leniter subuolans, integrum panem mirantibus attulit. Post cuius abscessum:* Eia, *inquit* PAVLVS, Dominus nobis prãdium misit, verè pius, verè misericors. LX. iam anni sunt, quod accipio dimidij semper panis fragmentũ: verùm ad aduentum tuum, militibus suis Christus duplicauit annonam. *Actis igitur Deo gratiis fonti assiderunt, Deoq; sacrificium laudis immolantes noctem transegêre vigiliis. Cumq; iam esset terræ redditus dies, mortẽ suam* PAVLVS *prædicit, & ab* ANTONIO *palliũ, quod illi Athanasius* Ep. *dederat, corpusculo suo obuoluẽdo deposcit. Quòd vbi deferre properat* ANTONIVS, *videt in reditu, inter Angelorum, Prophetarum, & Apostolorum choros* PAVLVM *niueo candore fulgentem in sublime conscendere. Vbi ad speluncã eius venit, reperit genibus complicatis, erectâ ceruice, extensisq; manibus in altum corpus exanime. Quo obuoluto & prolato foras, hymnos, psalmosq; ex Christianâ traditione decantans, vidit leones duos certatim arenam egerentes, vnius hominis capacem locum effodere. Ille Sancti corporis onere seniles curuauit humeros; & deposito eo in foßam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit.*



S. Paulus. primus Eremita.

3.

XVII. Ian.

S. ANTONIVS.

Ex S. Athanasio & Euagrio eius interprete.

ANTONIVS *Ægyptius, nobilibus religiosisque parentibus natus, cùm ingressus Ecclesiam ex Euangelio audiuisset:* Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni sequere me: & habebis thesaurum in cœlo: *veluti propter se hæc Scriptura esset recitata, ad se Dominicum traxit imperium: statimque regressus possessiones quas habebat vendidit, & aggregato non exiguo pretio indigentibus dedit, & cœlestis vitæ genus in terris colere instituit. Virtutum tanto studio incensus fuit, vt quemcumque videret aliquâ virtutis laude excellentem, illum imitari studeret. Nulli igitur primas in virtutibus cedebat. Inediæ autem & vigiliarum intantum patiens erat, vt incredulitatem viribus vinceret. Pernoctabat in oratione sæpissimè, edebat semel in die post solis occasum, nonnunquam biduo triduoque sic permanens, quartâ demum die reficiebatur. Sumebat verò panem & sal, potumque aquæ perparuum. Vestimento cilicino intrinsecus, desuper pelliceo vestiebatur. Quieti membra concedens, iunco contexto atque cilicio vtebatur. Nonnunquam etiam super nudam humum iacebat. Cùm talis tantusque Dei miles euasisset* ANTONIVS, *sanctissimum iuuenem hostis humani generis variis tentationibus aggreditur; quas fide, ieiunio, & oratione vincebat. Nec tamen frequens de satanâ triumphus securum reddebat* ANTONIVM, *qui diaboli innumerabiles nocendi artes nouerat. Itaque contulit se in vastissimam Ægypti solitudinem: vbi quotidie ad Christianam perfectionem proficiens, dæmones ita contempsit, vt illis exprobraret imbecillitatem. Sic autem dæmonibus erat formidolosus vt multi per Ægyptum ab illis agitati, inuocato nomine* ANTONII, *liberarētur. Quintum & centesimum annum agens, cùm innumerabiles sui instituti imitatores haberet, sanctitate & miraculis clarus migrauit in cœlum.*

Matth. 19.



Sanctus Antonius.

4.

S. HILARION.

Ex D. Hieronymo.

HILARION *ortus viro Tabathâ in Palæstinâ, cùm haberet parentes idolis deditos, rosa (vt dicitur) de spinis floruit. A quibus missus Alexandriam, magni ingenij & morum documenta præbuit. Audiens tunc celebre nomen* ANTONII, *incensus visendi eius studio, perrexit ad eremum: apud quem duobus mensibus omnem eius vitæ rationem didicit. Domum reuersus mortuis parentibus, partem substãtiæ fratribus, partem pauperibus erogauit. Necdum quintum-decimum annum egressus, redijt in solitudinem: vbi extructâ exiguâ casâ, quæ vix ipsum caperet, humi cubabat. Nec verò saccum quo semel amictus est, vnquam aut lauit, aut mutauit; cùm superuacaneum esse diceret,* Munditias in cilicio quærere. *In sanctarum litterarum lectione & meditatione multus erat. Paucas ficus & succum herbarum, nonnumquam hordeaceum panem ad victum adhibebat; nec illis ante solis occasum vescebatur. Cùm diabolus pubescenti corpori insolita voluptatum incendia suggereret, iratus sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere:* Ego te, *inquit,* aselle, faciam vt non calcitres; nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, vt cibum potiùs quàm lasciuiam cogites. *Continentiâ & humilitate fuit incredibili. Quibus aliisque virtutibus varias horribilesque tentationes diaboli superauit, & innumerabiles dæmones, in multis orbis terræ partibus ex hominum corporibus eiecit. Qui octogesimũ annum agens, multis ædificatis monasteriis, & clarus miraculis, in morbum incidit: cuius vi cùm extremo pænè spiritu conflictaretur, dicebat:* Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis seruîsti Christo, & mortem times? *Quibus in verbis spiritum exhalauit.*



Sanctus Hilarion.

5.

xxi. Octob.

S. MALCHVS.

Ex D. Hieronymo.

MALCHVS Nisibeni agelli colonus, solus parentibus suis fuit. Quem cùm quasi stirpem generis sui, & hæredem familiæ ad nuptias cogerent, monachum potiùs se velle esse respondit. Nec patris curans minas, nec matris flexus blanditijs, domum & parentes fugit, pusillum quid portans viatici, quod eum ab inopiâ tantùm defenderet. Vbi ad eremum Chalcidos venit, repertis inibi monachis, eorum se magisterio tradidit, manuum labore victum quæritans, lasciuiamque carnis refrenans ieiunijs. Inde cùm post multos annos, inuito ac reclamante Abbate, vt matris viduitatem solaretur, rediret in patriam, ab Ismaëlitis capitur, & pascendis ouibus destinatur. Quod cùm fideliter munus exequitur, conseruam suam alterius coniugem in vxorem ducere cogitur: quare ne maculetur connubio, seipsum occidere tentat; sed à muliere prohibetur, & castitatem in coniugio simulato seruat vterque. Post grande intervallum dum solus in eremo sedet, cœpit tacitus voluere, & inter multa, monachorum contubernia recordari, maximeque vultus Patris, qui ipsum erudierat, tenuerat, perdiderat. Dum hæc cogitat, & formicarum industriam conspicit, tædet eum captiuitatis, & cœpit iterum monasterij cellulas quærere, ac formicarum illarum sollicitudinem desiderare, vbi laboratur in medium; cumq; nihil cuiusquam proprium sit, omnium omnia sunt. Regresso ad cubile occurrit mulier, rogat cur ita exanimatus sit: Audit causam: hortatur ad fugam; non aspernatur. Petit silentium; illa fidem tribuit. Et primo vespere inuadunt iter; hos dominus insequitur. Illi specum subeunt. quò dum tam herus quàm seruus penetrat, vterque à leæna occiditur. Sublato itaque omni metu, camelos domini conscendunt, & decimâ tandem die ad Romana per desertum castra perueniunt. MALCHVS iungit se rursum Monachis, & illam tradidit virginibus, diligens eam vt sororem, non tamen ei se credens vt sorori.



Sanctus Malchus.

6.

xi. Iunij.

S. ONVPHRIVS.

Ex Paphnutio Abbate.

ONVPHRIVS Ægyptius, cùm esset in cœnobio in vrbe Hermopoli Thebarum, & audiret de Eliæ Prophetæ & Ioannis præcursoris vitâ, de nocte surrexit, & egressus de monasterio ab angelo custode deducitur ad eremum. Hic famem, sitim, frigus & æstum patienter tulit. Cum feris conuersatus comedit iugiter herbarum fructus, in montibus & in speluncis & in vallibus suũ reclinauit miserabile corpus: alimenta corporalia spreuit, vt dignus acciperet spiritalia. Sanctus enim Angelus quotidie panem illi offerebat, & aquam pro mensurâ ministrabat, vt corpus non deficeret, & iugiter in laude Dei perseueraret. Dactylorum quoque fructus per singulos dies colligens pro pane sumpsit cum herbarum foliis. Omni die Dominico Angelum Domini paratum inuenit, de cuius manu sacrosanctum corpus & sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI religiosè acciperet. Tanta huic capillorum prolixitas erat, vt corpus illius ipsorum diffusione tegeretur. Pro vestimento quoque foliis herbisque tectus, subteriora renum tantummodo cinxit. Iam septuaginta annis in deserto laboriosè viuens, hominẽ omnino non vidit, & à Paphnutio Dei monitu inuisitur: quibus inter se sermocinantibus de rebus cœlestibus, sol in occasum vertitur. Surrexerunt ergo, & cum gratiarum actione de pane & aquâ modicâ pariter sumpserũt. ONVPHRIVS, mane facto, de morte quæ sibi instaret admonẽs Paphnutium, dixit: Ne timeas, quoniam omnipotens Deus recto itinere in hanc solitudinem direxit te, vt honorificè sepelias me, atq; corpus meum commendes terræ. Post hæc surrexit, & ad Dominum lachrymans orauit, genua flexit atq; subitò dixit: In manus tuas, Deus, commendo spiritum meum. Et his dictis moribundus luce cingitur, atque in ipsius claritate luminis anima sãcta carne soluta est, quam Angelicus chorus festis cantibus excepit, & cœlo inuexit. Sacrum eius corpus in sepulchro, quod excisum erat de petrâ, magnus Paphnutius sepeliuit.



Sanctus Onuphrius.

7.

xiv. Maij.

S. PACHOMIVS.

Ex Dionysio Exiguo.

PACHOMIVS inferiori ortus Thebaidâ, secundum ritum ac traditionem parentum gentilis, cùm inter tirones in Constantini Imp. exercitu mereret, Christianorum charitate illectus, & diuinâ gratiâ gubernante, Christianus effectus est. Monasticam vitam sitiens, Palæmonem Anachoretam adijt, cuius monita PACHOMIVS obedienter ac solicitè suscipiens, totum se disciplinis atque diuinis institutionibus subiugauit. Humilitatis ac patientiæ munere, erga Deum proximumque purissimâ dilectione, præ multis nitebatur excellere. Cùm diuinas Scripturas legeret, non id passim negligenterque faciebat, sed solerter examinans ac piâ mente pertractans, studebat indies opere perficere, quæ memoriâ retinebat. Ad humiliandum corpus proprium induebat se plerumque cilicio. Per annos quindecim, post illos ingentes sudores atque labores eximios vigiliarum & abstinentiæ, non iacens somnum capiebat noctibus, sed in medio cellulæ suæ residens: adeò vt nec dorsum saltem parieti pro sustentatione reclinaret. Arctâ & singulari conuersatione semetipsum affligens, studebat integrum se atque immaculatum in omnibus exhibere. Æternarum memoriâ pœnarum noxias cogitationes mox repellebat. Consueuerat etiam stans in oratione manus expandere, quas per aliqua horarum spatia minimè colligebat, sed extẽsione diuturnâ velut cruci confixũ corpus retinebat immobile, & sic animum ad vigilandum in precibus excitabat. Quodam verò tempore cùm pro more diutiùs in orationibus perduraret, diuinitùs in Tabennæ vico monasterium ædificare iubetur: deinde ab Angelo regulam accipit, quâ docendi forent quicunque ad eius magisterij studia peruenissent. Cùm talis tantusque foret PACHOMIVS, assiduâ dęmonis impugnatione pulsatur, nunc præstigijs distrahitur, nunc crudelissimè cæditur: sed fortissimus Athleta signo Crucis frontem muniens cuncta dæmonis molimina proterebat. Centesimum decimum annum agens, angelico conspectu recreatus, sanctam reddidit animam.



Sanctus Pachomius.

8.

xv. Ianu.

S. MACARIVS ÆGYPTIVS.

Ex Ruffino & Palladio.

MACARIVS *Ægyptius, triginta annos natus, Asceticam vitam ingreditur; vbi tam excellenter se in omni virtutum genere exercuit, vt omnibus stupori esset. Effoderat ipse à cellâ suâ in dimidium vsque stadium cuniculum subterraneum, & inde speluncam non modicam: quò se recipiebat, si quando latere & aduenarum strepitum fugere exoptabat; viginti quatuor orationes dum recedit, totidemque dum redit, recitans. Cùm quidam falsò homicidij accusatus ad eum confugisset, insequente eum apparitorum officio, egressus* MACARIVS *iussit se ad cadauer duci. Per fidem, inquit, Christi te obtestor, vt dicas si ab hoc homine, qui calumniam patitur, occisus es. Negauit ille. Cumque perurgeret officium, vti nomen homicidæ requireret, abnuit* MACARIVS: Sufficit, *inquiens*, mihi, vt innocens liberetur, non est autem meum, vt reus prodatur. *Alio quoque tempore, cùm virgo quædam, quæ magicis artibus in equam versa videbatur, ei offerretur; oleo benedicto & oratione à fascinatione eam liberauit. Cùm Hieracita quidam hæreticus eum in fidei contentionem prouocaret, promptissimè se obtulit* MACARIVS, *non verbis magis quàm reipsa fidei testimonium præbens. Processerunt igitur ad sepulcra; & hortatur* MACARIVS *Hieracitam, vt euocaret mortuum in nomine Domini. At ille: Tu, inquit, domine, qui proposuisti, prior euoca. Et* MACARIVS *prosternens se in orationem ante Dominum, vbi sufficienter orauit, eleuatis sursum oculis suis, ait ad Dominum: Tu, inquit, Domine, quis ex duobus nobis rectam fidem teneat ostende, eleuato mortuo hoc. Et cùm hæc dixisset, fratris cuiusdam nomen, qui nuper fuerat sepultus, euocauit. Cui ille cùm de tumulo respondisset, accedentes fratres continuò, quæ superposita fuerant, auferunt, & eductum eum de sepulcro, resolutis fasciolis quibus constrictus erat, exhibuerunt viuentē. Hieracita verò, vbi hæc vidit, obstupefactus in fugam vertitur. Quem fratres quoq; omnes insequentes, extra terminos terrę illius exturbauerūt. Vixit* MACARIVS *annos omnino* XC. *ex quibus in solitudine annos* LX. *transegit.*



9. S. Macarius Ægyptius.

11. Ianu.

S. MACARIVS ALEXANDRINVS.

Ex Ruffino &Palladio.

MACARIVS Alexandrinus, eximius eremi cultor fuit, adeò vt penitissima quæque & inaccessa loca penetrârit. Loco, in quo plerumque versabatur, Scete nomen erat, in vastissimâ eremo, nec facilè cuiuis peruiâ. Cùm amicus quidam uvam MACARIO detulisset, eã ille infirmiori cuidã fratri deferri curat. Ille sibi gratulatus de benigno Patris affectu, mittit eam porrò ad alios fratres: quo factum, vt vna uva per mutua charitatis officia omnium fratrum cellas obambularit, & ad MACARIVM reuerterit. qui mirè fratrum suorum continentiâ recreatus fuit. Cùm apud magnum virum & Patrem Antoniũ electos palmæ ramos vidisset, quos ipse laborauerat, petijt ab eo vnum manipulum ramorum palmæ. Cui Antonius: Scriptum est. Non concupisces res proximi tui, *& ecce rami omnes statim tanquam ab igne torrefacti sunt. Quod quidem cùm vidisset Antonius, dixit MACARIO: Ecce Spiritus sanctus requieuit super te, erisq; mihi deinceps hæres mearum virtutum. Cùm quodam tempore fratris cuiusdam visendi gratiâ, vterq; Macarius nauim conscendisset; reperêre ibi tribunos aliquot, diuites admodum ac præpotentes, magno puerorum honorariorum stipatos agmine. Horum vnus cùm videret in vltimâ nauigij parte vilibus indumentis, atque ad omnia expeditos iacere Monachos, ait ad eos;* Beati estis vos, qui huic sæculo illuditis, & nequaquam ex eo requiritis, nisi indumentum vilissimum & parcissimum victum. *Tunc MACARIVS ALEXANDRINVS respondit:* Verè quidẽ, vt dicis, qui Deum sequuntur, illudunt mundo; sed miseremur vestri, quòd vobis econtrario mundus illudit. *Cùm diabolus ei longinquas peregrinationes suggereret, duorũ modiorũ sportã impleuit arenâ & humeris imposuit; atque ita totã peruadebat solitudinẽ. Cui cùm Theosebius quidam occurrens diceret: Quid portas, abba? Cede mihi onus, & ne vexeris. Ille autẽ dixit;* Vexo eum qui me vexat. *Nam cùm sit remissus asellus meus, peregrinationes suggerit.*

Deut. 7.



S. Macarius Alexandrinus.

10.

xvi. Mart.

S. ABRAHAM.

Ex sancto Ephræm.

SANCTVS ABRAHAM, *propter eximium* IESV CHRISTI *amorem, septimâ nocte nuptiarum relinquens intactam spōsam fugit, & cellæ se inclusit; vbi diuinâ gratiâ illustratus, quotidie continentiâ, humilitate atque charitate profecit. Contigit autem anno duodecimo renuntiationis eius, vt parentes ex hac vitâ recedentes aurum ei copiosum prædiaque magna relinquerent, quæ pauperibus erogari fecit. Quare securus animo & mente quietâ mansit. vestis eius sagum & cilicium, quod quinquaginta annorum spatio non mutauit; supellex caucus erat & psiathium, in quo cubitare consueuerat. Omnibus omnia factus, æqualiter dilexit omnes, honorauit vniuersos. Nec aliquando quenquam procaciter increpauit, sed erat sermo eius charitate & suauitate conditus. Quis audiens eius eloquium dulcedine sermonis saturari potuit? vel quis vultum illius respiciens, non magis videndi eum sæpius desiderium sumpsit? Erat autem aspectus eius quasi flos quidam immarcessibilis, atque in facie eius puritas animi relucebat. In omni tempore institutionis suæ non præteriuit eum sine lacrymis dies. Abstinentiæ suæ regulam, quam semel arripuit, non mutauit. Quinquaginta siquidem annos magnâ cum deuotione atque humilitate cordis & charitate non fictâ, institutum suum impleuit. Non appropinquauit oleum corpusculo eius; facies eius ac pedes à die conuersionis suæ numquam diluti sunt. Non pigritiâ obtorpuit, non segniter egit; sed ita semper extitit, quasi quotidie moriturus. Ad Pontificatus ministerium assumptus, ab Idolorum ad vnius veri que Dei cultum Gentiles adduxit. Verùm pristinæ consuetudinis amore tactus, reuertitur ad cellam: vbi variis dæmonum tentationibus in nomine* IESV *superatis septuagesimo vitæ suæ anno quieuit in pace. Maximum autem atque admirabile certamen hoc fuit, quod erga Mariam neptem suam gessit, quomodo per sapientiam spiritualem de voragine iniquitatis eam abstraxit. ô miraculum! In ipsum cubile draconis ingressus est, ibique eum pedibus conculcauit, & ex medio dentium eius escam eripuit.*



S. Abraham Eremita.

ii.

Ex Basilij Epist. ad Chilonem Anachoretam.

PROPTER *incommoda, quæ in mundo sunt, persuasus in hos montes quasi volitans passerculus emigraui. Passerculi etenim exemplo exemi me, atque submoui longiùs à laqueo venantium. Siquidem in hac solitudine (si nescis, ô improba cogitatio) vitam hanc destinaui mihi transigendam, in quâ Dominus meus pro me versatus est.* Gen. 18. *Hîc illa est quercus Mambre.* Gen 28. *Hîc inuenire liceat scalam, ad cœlum vsque animas rectà subuehentem.* Gen. 32. *Hîc & castra angelorum, quæ se Patriarchæ Iacob spectanda præbuere.* Exod. 19. *Hæc ea est solitudo, in quâ peculiaris Dei Populus præuiâ expiatione collustratus, legem accipere promeruit: denique ad terram prouectus promissionis, Deum contemplatus est.* 3. Reg. 18. *Hîc mons celeber Carmelus, in quo Elias demoratus perplacuit Deo.* 2. Esdr. 8. *Hîc sita est campestris planicies, in quâ seorsim à cæteris cùm se Esdras submouisset, libros scripturæ diuinitus inspiratæ, omnes ex Dei mandato, ad communem omnium vsum eructauit & exprompsit.* Matth. 3. *Hîc sita eremus est, in quâ B.* IOANNES *esitans locustas, formulam pœnitentiæ hominibus perficiendæ suâ prædicatione præscripsit & euulgauit. Hîc item mons ille oliuarum, ad quem* Matth. 26. CHRISTVS *ex more secedebat oraturus, nosque orandi formulam edocturus. Hîc documentum edidit* CHRISTVS, *quàm deamaret solitudinem:* Matth. 18. *Is enim ait:* Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Hîc angusta & arcta* Matth. 7. *est via, quæ ducit ad vitam.* Hebr. 11. *Hîc Doctores & Prophetæ in solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis, & cauernis terræ. Hîc Apostoli & Euangelistæ, ac Monachorum ab vrbium aditu longissimè disparata conuersatio. Hæc ex prompto nec illibenti animo complexus sum in hoc, vt quæ martyribus ceterisque in commune sanctis diuinâ promissione reposita sunt, vel ipse tandem promerear accipere, quò nihil adumbratè, sed verissimè depromere illud possim:* Psalm. 16. Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.



S. Basilius Magnus.

12.

1. Febr.

S. EPHRÆM.

Ex Nyssen. Metaph. & Vitis Patrum.

S. EPHRÆM *Syrus, Edessenæ ecclesiæ Diaconus, in Edessâ pijs parentibus natus, abstinuit à puero ab omni re malâ. Cuius egregiam sanctitatem ac doctrinam per visum vidêre parentes; cùm ex ore ipsius* EPHRÆM *vitis adscenderet valdè frugifera, quæ excrescebat & replebat omnem sub cœlo regionem. Hic ab ætate iuuenili eremum incoluit, cõpunctionis sibi abyssum vindicãs, per quam & diuinam Spiritus sancti gratiam suscepit. Captus autem desiderio visendæ Edessenorum Vrbis, eò concessit; tum vt loca ibi sancta inuiseret, tum vt sapientem aliquem conueniret, ac cognitionis fructum vel caperet ipse, vel alijs præberet. Veniensque in Vrbem conuersatus est ibi, & salutaribus suis monitis impudenti feminæ salutem attulit. Ex impudicâ enim pudicam, ex lasciuâ grauem, ex inquinatâ puram castamq; reddidit. Cæsaream deductus, vidit S. Basilium, quem magnâ voce beatissimus honorabat; nempe qui in humero Basilij dextro columbam stantem aspiceret, & in aures suggerentem, quæ populo referebat. Magnus autem Basilius Spiritu sancto plenus, agnouit* EPHRÆM, *& dixit ad eum: Túne* EPHRÆM *es Syrus? Verè quemadmodum intellexi, sic & in te comperi, quietis amator. Scriptum habetur in prophetiâ David:* EPHRÆM fortitudo capitis mei. *Nam mansuetudo tua atque clementia & simplicitas clara est, velut lumen apparẽs omnibus. Erat enim clemens ac patiens, mansuetus, pudicus ac simplex, in cognitione diuinâ velut* omni fuco carens, *secundum quod scriptum est, demissus atque modestus, humilis & compunctione plenus, supra fidem; vt etiam ipso tacente vel ex solo aspectu intuentes ipsum, docere videretur. Totus precibus ad Deum fundendis intentus erat; assiduus in cõtemplatione tribunalis* CHRISTI. *Hic igitur sanctus Pater, præscius sui obitus, composuit testamentum ad discipulos & quoscunque monachos; & modicum ægrotans quieuit in Domino.*

Psalm. 59. & 107.

Iob 1.



Sanctus Ephrem.

13.

v. Ianuarij.

S. SIMEON STYLITA.

Ex Antonio eius discipulo, & Theodoreto.

SANCTVS SIMEON ex vtero matris suæ electus est à Domino, & meditabatur parere ac placere illi. Annos natus tredecim, ouium gregibus pascendis à parentibus præfectus est: in quâ functione cùm quadam vice multâ vi niuium, ouibus domi detentis, ipse ad sacrum templum venisset, accepißetque Euangelicam vocem: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *confestim in propinquum monachorum cœtum se contulit, vbi biennio commoratus, inde ad Heliodorum virum exercitatissimum profectus est. Vbi asperrimo fune ex palmarum foliis contexto lumbos cinxit, & totam hebdomadam ieiunus peregit, singulis diebus cœlesti se pane reficiens. Inde angustâ se domunculâ inclusit, & ad exemplum Moysis & Eliæ quadraginta diebus ieiunauit. Transacto triennio montis verticem conscendit, ibique columnæ insistens, quæ primùm sex, mox duodecim, deinde viginti, demũ triginta & sex cubitorum altitudinis fuit, multitudinem populi vndique ad se confluentem, terrena despicere, cælum suspicere docuit. Eius fama Romæ ita celebris fuit, vt pro omnibus officinarum vestibulis, imagines eius ad tutelam collocatæ sint. Præ ceteris autem eius animi dotibus patientia eius potissimũ admiranda videtur. Nocte enim ac die stãs, spectabatur ab omnibus, nisi quòd frequentissimè humi prostratus Deum adoraret, semel tantùm in hebdomadâ cibum capiens. Publicis solemnitatibus aliud patientiæ specimen exhibebat. Nam ab occasu ad ortum Solis, sublatis ad cœlum manibus totam noctem stabat, neque somno, neque labore defessus. Cùm tanto rerum gestarum, miraculorumq́; numero splenderet, adeò tamen modestus erat, vt omnium hominum se infimum atque postremum existimaret. Præter modestiam verò ita affabilis ac humanus erat, vt ad cuiuslibet interrogata responderet, animam eius angeli in cœlum subuexere.*

Matth. 5.



S. Simeon Stylita.

14.

15

xxiii. Oct.

S. MACARIVS ROMANVS.

Ex Vitis Patrum.

MACARIVS *in Regali ciuitate natus & nutritus, viri Romani filius, cùm inuitus ad nuptias traheretur, ipso nuptiarum die, relictâ sponsâ, clam fugit; & ab Angelo sancto Raphaële per angusta montium & vallium deductus ad eremum, ab onagro in viâ dirigitur, & ad locum diuinitùs sibi præparatum, Angelo duce, perducitur. Speluncam ingressus duos reperit leonis catulos, matre nutriceque præmortuâ destitutos. Quorum ille curam suscipiens, arborum frondibus eos enutriuit: atque ita annis duobus idẽ illis cum* MACARIO *cubile mensaque fuit. Inde diabolus, cuius nunquam à seruis Dei cessat inuidia, mulieris specie* MACARIVM *decipit. Infelix ille, serò eius aduertens insidias, foras se proripit, & pectus feriens lacrymas vbertim fudit. Ipsi quoque leones, quos enutrierat, in peccati vindictam ab eo fugiunt, donec orãte* MACARIO, *Deo ita iubente, reuersi sunt. Qui speluncam ingressi, dum humum pedibus suis, ad vnius staturam hominis, effodiunt, ipse brachijs tenus in foueam descendit; leonibus imperans, vt* MACARIVM *in eodem sepelirent loco, terram vndique aggerentes. Quod cùm factum fuisset, annos tres ita sepultus in eadem fossâ peregit. Exinde cũ ingenti fragore spelunca dissiliret, ipse foras manus emittens, herbas in circuitu decerpens in cibum colligebat. Pœnitentiæ triennio euoluto, rediêre ad eum leones; terram egerunt, & toto corpore sanum extrahunt* MACARIVM. *Qui positis genibus, quadraginta diebus & noctibus, in eodem immobilis permansit loco. Quibus completis, respexit in speluncam, & vidit Saluatorem* CHRISTVM, *qui speluncã suâ præsentiâ expiabat & consecrabat. Ingressus in eam, glorificabat Deum, creatorem omnium, qui* MACARIVM *tantâ sustinuit patientiâ, perduxit ad pœnitentiam, & talem demonstrauit clementiam. Acta sunt hæc, cùm septem annis in speluncâ egisset, nec ipse quadragenario maior esset.*



S. Macarius Romanus.

15.

S. FRONTONIVS.

Ex Vitis Patrum.

FRONTONIVS *verus Dei seruus, publicam communemque vitam perhorrescens, cõuocatis aliquot ad se fratribus, in auiam solitudinem secessit. Vbi dum tenui victu vitam tolerant, hostiam laudis Deo offerebant. Qui etsi mundi laqueos fugerant, non effugêre tamen dæmonis insidias; cui nihil inuium, nihil occultum. Suscitat igitur murmur inter fratres; suggerit, Deum vbique esse; non ruri magis quàm in vrbe ad cœlum patere aditum; angelorum esse, cibo carere, non hominum. Quibus concitati fratres* FRONTONIVM *adeunt, ad sæculum redire gestientes, vbi maior annonæ copia. Ille blandè eos solari, salutaribus monitis instruere. Meminissent maiorum, qui in deserto murmurantes à serpentibus depasti sunt. Reuocarent in memoriam diuinum promissum:* Nolite cogitare quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. *Meminissent Prophetici sermonis:* Ecce oculi Domini super timentes eum, vt alat eos fame: *Rememorarent Apostoli effatum:* in fame & siti. *Dum hisce aliisque discipulos monitis instruit, ecce tibi Angelus Domini ad diuitem quendam de nocte ait: Tu epularis in diuitiis splendidè, & serui mei in eremo indigent pane. Ita tertiò monitus & increpitus, onerari iussit sexaginta camelos, quos nullo ductore in eremũ dimisit. Qui iuxta præcinctum montis abeuntes, rectà ad monasterium S.* FRONTONII *tetendêre. Qui lætus & exultans spiritu, quòd bonus Deus seruis suis cibaria prouiderat; ne tamen auaritiæ spiritu corriperetur, eulogiarum partem mediam remisit. Ita in posterum nihil* FRONTONIO, *nihil fratribus defuit; cùm quotannis viri diuites, hoc excitati miraculo, certatim annonam in eremum submitterent.*

Num. 21. & 11.
Matth. 6.
Psalm. 32.
2. Cor. 11.



Sanctus Frontonius.

16.

XXVII. Mart.

S. IOANNES IN LYCO.

Ex Ruffino & Palladio.

SANCTVS Joannes Ægyptius, cùm quinque annos versatus esset in monasterio, secessit solus in montem Lyco. Ascensus ad eum difficilis; aditus cellulæ eius obstructus & clausus, ita vt à quadragesimo ætatis suæ anno vsque ad nonagesimum, nullus ad eum intrauerit. Aduenientibus verò per fenestram se videndum præbebat, & inde eis vel verbum Dei ad ædificationem, vel, si qua fuisset consolatio, responsa reddebat. Mulierum tamen illuc nulla, nec ad conspectum quidem eius accessit; sed & viri rarò, & non nisi certis quibusque temporibus. Cellã sanè hospitalem extrinsecus fieri permisit, in quâ aduẽtantes paululùm requiescerent; ipse verò intrinsecus solus, soli Deo vacans, non diebus, non noctibus à colloquiis Dei & oratione cessabat: Diuinum illud & quod super omnem mentẽ est, totâ mentis puritate consectans. Quantò enim se ab humanis curis & colloquiis sequestrabat, tantò illi vicinior & propinquior Deus erat. In tantâ denique mentis sinceritate profecerat, vt non solùm eorum, quæ præsentia erant, scientiam consequeretur à Domino, verùm & eorum, quæ futura erant, præscientiam mereretur. Sanitates quoque & curas corporum ita deposcentibus conferebat, vt omnem ex hoc iactantiam fugeret. Non enim permittebat ad se infirmos deferri, sed benedicens oleum dabat; ex quo peruncti, sani fierent, à quacunque infirmitate tenerentur. Cibus illi vespertinus erat, & hic exiguus; erat idem attenuatus & aridi corporis præ abstinentiâ: capilli eius & barba quasi ex languore nimio rara & tenuis. Obseruabat etiam, cùm iam nonagenariam ageret ætatem, vt nullum per ignem paratum sumeret cibum. Appropinquante verò die obitus, per triduum nullum ad se introire permisit; & positis genibus in oratione reddidit spiritũ, atq; ita perexit ad Dominum, cui est gloria in sæcula sæculorũ. Amen.



S. Joannes in Lyco.

17.

S. ELIAS.

Ex Ruffino & Palladio.

SANCTVS Pater ELIAS, ſenex venerabilis, centum ferè & decem annorum, vixit in finibus ciuitatis Antinoo, quæ eſt metropolis Thebaidis; & fama erat, quòd verè ſpiritus ELIÆ in eo requieuiſſet. Erat enim valde celebris, & magnifica de eo referebantur, vt qui in terribili illâ ſolitudine egiſſet ſeptuaginta annos; cuius deſerti horrorem, terroremque nullus ſermo dignè poterit exponere. Illic ergo ſedebat ſenior totâ hâc ætate, humanæ habitationis neſciens loca. Semita autem erat anguſta & ſcrupea, quæ ad eum ducebat, quæ vix inueniri à commeantibus poſſet. Locus verò ipſe in quo ſedebat, ſpelunca erat terribilis quædam, & intuentibus plurimum horroris incutiens, adeò vt ipſum quoque videre eſſet formidabile. Tremebat autem iam totus, vt quem ſenectus opprimeret. Inceſſabiliter tamen per ſingulos dies ſigna faciebat, & aduenientes ad ſe quacumque incommoditate conſtrictos, omnimodis reſoluebat. Cuncti verò patres confirmabant, quòd nullus omnino meminiſſet, quando hic ſeceſſiſſet ad eremum. Cibus ei erat panis exiguus, & pauciſſimæ oliuæ, vſque ad vltimam ſenectutem. In iuuentute ſeptimanas integras frequenter ieiunaſſe perhibetur. Cùm duo fratres valdè corpulenti ad eum veniſſent, ad diſcipulum ſuum ſubridens dicebat; verè, frater, ego erubeſco pro te, quia ſic in ſaginâ nutriſti corpus tuum, quia eſca vermium ſumus, cùm profitearis te eſſe monachum. Pallor enim cum humilitate & macies, decus eſt monachi. *Scitum quoque eius hoc erat:* Ego tres res timeo, vnam, quando egreſſura eſt anima mea de corpore: aliam, quando occurſurus ſum Deo: tertiam, quando aduerſum me proferenda eſt ſententia.



S. Elias Ægyptius.

18.

S. THEONAS.

Ex Ruffino & Palladio.

THEONAS vir sanctus, in domunculâ seorsum inclusus, triginta annis silentium obseruauit; in tabellâ tantùm subinde scribens, gratiam doctrinamq; sui sermonis aduentantibus ad se fratribus ostendebat. Is cùm plurimas virtutes faceret, vt Propheta apud suos habebatur. Conueniebat namque ad eum per dies singulos infirmorum plurima multitudo, ad quos ille per fenestram manum proferens, & vniuscuiusque capiti superponens, ac benedicens eos, sanos ab omni ægritudine remittebat. Hic etiam ipso visu tam honorabilis erat, tantumque reuerentiæ gerebat in vultu, vt inter homines Angelus videretur: ita lætus oculis, & plenus totius gratiæ apparebat. Huic cùm latrones noctu superuenissent, aurũ se apud eum inuenturos credentes, oratione solâ ita eos vinxit, vt foribus eius affixi, mouere se omnino non possent. Mane verò cùm ad eum turbæ more solito conuenissent, & viderent ad ianuas eius latrones, volebant eos igni tradere. At ille rerum necessitate compulsus, vnum eis solùm locutus est verbum: Sinite eos illæsos abire, alioquin gratia à me fugiet sanitatum. Populi verò vt audierunt hæc, dimiserũt eos: qui abiectâ scelerum voluntate, & pœnitentiâ ducti ad monasteria vicina confugiunt, atque ibi emendatioris vitæ formam modumque suscipiunt. Erat autem vir eruditus non solùm Ægyptiorum & Græcorum linguâ, sed etiam Latinorum. Comedebat semina non cocta. De nocte progrediens ad eremum, comitatu vtebatur plurimo eremi bestiarum. Ipse verò hauriens aquam de puteo suo, & præbens eis pocula, obsequij earum remunerabat laborem. Huius autem rei manifestum dabatur indicium, quòd vestigia bubalorum, caprarumque & onagrorum, quibus semper delectabatur, circa eius cellulam plurima deprehendebantur.



Sanctus Theonas.

19.

S. HELENVS.

Ex Ruffino & Palladio.

HELENVS *à pueritiâ in seruitio Domini, cum omni continentiâ & castissimis institutionibus enutritus, ad summa merita peruenit; adeò vt etiamnum puer, cùm in monasterio versaretur, & è vicino petendus esset ignis, ardentes prunas vestimento ferret illæso. Huic quodam tempore, cùm solus esset in eremo, desiderium vescendi mellis exortum est: & conuersus vidit in saxo fauum mellis inhærentem, & intelligens inimici hanc esse fallaciam, continuò semetipsum increpans, ait: Discede à me deceptrix & illecebrosa concupiscentia. Scriptum est enim:* Spiritu ambulate, & cõcupiscentias carnis ne perfeceritis. *Alio quoque tempore, cùm iam tertiâ septimanâ ieiunus ageret, videt in deserto diuersa sparsim iacere poma: & intelligens dolos inimici, ait:* Non manducabo, neque contingam; ne fratrem meum, hoc est, animam meam, scandalizem. *Cùm & sequenti septimanâ ieiunaret, adfuit ei Angelus Domini, qui ei limpidissimum fontem, eiusque ripas herbis odoratissimis prætextas monstrabat. Atque ita cibo cælitus misso refectus est. Cùm aliquando fratribus necessaria deferens, oneri succumberet, videns fortuitò pascentes onagros, vnum ex iis euocauit, cui ipse insedit & onus imposuit. Nonnunquam etiam crocodilo vectore flumen traiecit. Et cùm quidam quererentur, quòd bestia ea esset pernicies hominum, eandem in siccum educens, dixit ad eam: Melior est tibi mors, quàm tot scelerum & tot homicidiorum inuolui reatu. At ille statim corruens exspirauit. Ad monasterium subinde diuertens, docebat fratres spiritalem doctrinam, ita vt etiam nonnullorum cogitationes cordis, & consilia secreta proferret in medium. Qui agnoscentes ita intra se agi, vitia abdicabant, & virtutes inserebant.*

Galat. 5.



Sanctus Helenus.

20.

iv. Octob.

S. AMMON NITRIOTA.

Ex Ruffino & Palladic.

AMMON locupletibus & generosis parentibus natus, inuſtus ad nuptias cogitur. Cùm inter nuptiales thalamos conueniſſent, ita ſponſam ad pudicitiam conſeruandam inuitat: Corruptio ſine dubio inuenit corruptionem, incorruptio verò incorruptionem ſperat. Multò ergo melius, ſi vterque noſtrûm in virginitate perduret, quàm vt alter corrumpatur ex altero. Acquieſcit ei virgo, ſilentio tegitur incorruptionis theſaurus. Cumque plurimo tempore, ſolius Dei contenti teſtimonio, ſpiritu magis eſſent quàm carne ſanguineque coniuncti, poſt obitum amborum parentum, ille quidem ad vicinum deſerti ſecedit locum, interiora montis Nitriæ occupans; virgo verò intra domum reſidens, in breui & ipſa multitudines virginum, & ille multitudines congregat monachorum. Deductum ad ſe adoleſcentem, morſu canis rabidi in rabiem verſum, non antè reſtituit ſanitati, quàm ille bouem, quem viduæ ſurripuerat, redderet: quod ipſum furtum ſpiritu prophetico AMMON cognouerat. Unde timor inuaſit adſtantes, quòd ea, quæ ſecretè geſta ſunt, non latuerunt hominem Dei. Cùm quidam ei cameli vſum ad dolium deferendum, quo aqua colligeretur in commodum aduentantium, denegaſſet, camelus interiit. Fluuium Nilum cùm trāſire vellet, & exuere ſe erubeſceret, virtute Dei ſubitò in alteram ripam tranſlatus eſt. Vixit AMMON ſexaginta duos annos, ex quibus viginti in domo paternâ ante nuptias tranſegit, duodeuiginti poſt nuptias, à conſorte ſuâ ſecubans, & de die in balſameto ſe exercens; viginti verò duos in monte Nitriæ. Cuius beatam animam in cælū aſſumi ab angelis vidit S. Antonius; cuius quoque iuſtitiam atque animi virtutes in ſummâ admiratione idem habuiſſe memoratur.



S. Ammon Nitriota.

21.

VII.Martij.

S. PAVLVS SIMPLEX.

Ex Ruffino & Palladio.

PAVLVS cognomento Simplex, cùm vxorem suam in adulterio deprehendisset, nulli quidquam dicens, egreßus est domum, & mœstitiâ animi tactus in eremum secessit: vbi cùm anxius oberraret, ad monasterium peruenit Antonij. A quo cùm salutis iter inquireret, ille intuens hominem simplicis naturæ esse, respondit ei, ita demum eum posse saluari, si his, quæ à se dicerentur, obediret. Tunc ille omnia quæcunque sibi præciperet, facturum se esse respondit. Vt ergo promissionem eius probaret Antonius, ante fores cellulæ stanti; hîc, inquit, exspecta me orans donec egrediar. Ille mansit ibi in æstu diei & rore noctis continuò orans. Adeò solicitus silentij ex obedientiâ obseruator fuit, vt cùm Antonius ei quòd rem simplicem proponeret, nutu silentium indixißet, religiose id coluerit ad stuporem Antonij. Egregiè eum Antonius in obedientiæ virtute exercuit, ea imperans, quæ ratio & caußa non poscerent. Haurire namque aliquando eum aquam iussit ex puteo, & in terram totâ die effundere; contextas sportellas resoluere, ac denuo contexere; vestimentum dissuere, ac iterum resuere & rursus resoluere. quâ ratione breui ad perfectionem venit. Nam obedientiæ & simplicitatis merito in tantum spiritualium gratiarum culmen ascendit, vt multò plures & potentiores virtutes per ipsum Dominus, quàm per sanctum Antonium faceret. Quos enim ipse Antonius curare non poterat, ad PAVLVM ablegabat. Deductus est aliquando ad eum rabidus, cui dæmon erat infestus. Et cùm mora curationis fieret, nec celer sequeretur effectus, quasi infantum more indignatus ad Dominum dixisse fertur: verè non manducabo hodie, si eum non curaueris. Et continuò quasi delicioso domino satisfactum est à Deo; & statim curatus est rabidus. Ita bobonus Deus cum seruis suis, qui se totos ei deuouére, muneribus certat, illorum se virtutibus quasi oppignorat, & supra omne meritum eosdem remunerat.



S. Paulus Simplex.

22.

xix. Iulij.

Ex Vitis Patrum, & eius vitâ.

S. ARSENIVS.

ARSENIVS *Romanus Græco & Latino eloquio clarus, & in Scripturis sanctis eruditus, in Romanâ ecclesiâ diaconus ordinatus, Româ Cōstātinopolim euocatur, vbi ab Imperatore Theodosio filiorum suorū pædagogus constitutus est. Sed ille aulicæ vitæ pertæsus, orauit ad Dominum, dicens: Domine, dirige me ad salutem. & venit ei vox dicens:* ARSENI, fuge homines, & saluaberis. *Idem ipse discedens ad monachilem vitam, rursum orauit eundem sermonem. Audiuitque vocem dicentem sibi:* ARSENI, Fuge, tace, quiesce. hæc enim sunt radices non peccandi. *Itaque vili indutus amictu in vastam Scetis solitudinem contendit. Cùm ad eum matrona Romana magnis itineribus peruenisset, rogaretque vt in memoriâ se habere dignaretur, respondit:* oro Deum meum, vt deleat tuam ex corde meo memoriam. *Quotiescunque autem in ecclesiam cum aliis patribus conuenisset, post columnam sedebat, ne aut ipse alterius, aut alter ipsius faciem inspicere posset. Rogatus, cur non mutaret aquam palmarum, quæ fœtebat, respondit:* pro thymiamate & odoribus vnguentorum, quibus in sæculo vsus sum, opus est vti me nunc fœtore isto. *In oratione adeò perseuerans fuit, vt totis sæpè noctibus orans perduraret, vt quem Sol occidens orantem conspexerat, eundem rursus oriens orantem reperiret, Hic autem sermo semper erat in ore eius:* ARSENI, propter quid è sæculo exiisti? *sæpè quoque dicere solebat·* Loqui me semper pœnituit, tacere nunquam. *Qui idem vir insignis cùm teneretur amore beatitudinis lugentium & consolationis, quæ eis promittitur, non cessauit lugere; in tantū vt gremio subesset pannus, quo lachrymas abstergeret, quæ fluebant ex oculis. Atque hæc eius erant quotidiana exercitia, quousque verè beatam tradidit animam, cùm vixisset inter Eremitas annos quinquaginta quinque; obiit autem nonaginta quinque annorum.*



Sanctus Arsenius.

23.

S. BONOSVS.

Hieronymus ep.41. ad Ruffin.
Genes. 28.
Matth. 16.
Luc. 9.
Psal. 125.
Num. 21.

BONOSVS *tuus, imò meus, & (vt veriùs dicam) noster, scalam Iacob iam scandit, portat crucem suam, nec de crastino cogitat, nec post tergum respicit. Seminat in lacrymis, vt in gaudio metat, & sacramento Moysi serpentem in eremo suspendit. Ecce puer, honestis sæculi nobiscum artibus institutus, cui opes affatim, dignitas apprimè inter æquales erat, contemptâ matre, sororibus, & carissimo sibi germano, insulam pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes, & nuda saxa, & solitudo terrori est, quasi quidam nouus paradisi colonus insedit: nullus in tantâ vastitate adhæret lateri comes; solus ibi (immò iam Christo comitante non solus) videt gloriam Dei, quam etiam Apostoli nisi in deserto non viderant. Non quidem conspicit turritas vrbes, sed in nouæ ciuitatis censu dedit nomen suum. Horrent sacco membra deformia, sed sic meliùs obuiam Christo rapietur in nubibus. Nullâ euriporum amœnitate perfruitur; sed de latere Domini aquam vitæ bibit. Totam circa insulam fremit insanum mare, & sinuosis montium illisum scopulis æquor reclamat. Nullo terra gramine viret, nullis vernans campus densatur vmbraculis: abruptæ rupes quasi quendam horrore carcerem claudunt. Ille securus, intrepidus, & totus de Apostolo armatus, nunc Deum audit, dum diuina relegit; nunc cum Domino loquitur, dum Deum rogat; & fortasse, ad exemplum Ioannis, aliquid videt, dum in insulâ commoratur. Quas tu diabolum nectere credis tricas? quas parare arbitraris insidias? Forsitan antiquæ fraudis memor, famem suadere tentabit; sed iam illi responsum est:* Non in solo pane viuit homo. *Opes forsitan gloriamque proponet; sed dicetur illi.* Qui cupiunt diuites fieri, incidunt in muscipulam & tentationes. *Fessa membra ieiuniis, morbo grauante concutiet; sed Apostoli repercutietur eloquio:* Quando infirmor, tunc fortior sum. *Minabitur mortem, sed audiet:* Cupio dissolui & esse cum Christo.

Matth. 11. — 1. Thessal. 4. — Ephes. 6. — Deut. 8. — 1. Timoth. 6. — Gal. 6. — Philip. 1.


Sanctus Bonosus.

24.

Ex Hieron. Epist. 22. ad Eustochiū.

O QVOTIES ego ipse in eremo constitutus, & in illâ vastâ solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis! Sedebam solus, quia amaritudine plenus eram: horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes monachi aquâ frigidâ vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tātùm socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum: pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortuâ sola libidinum incendia bulliebant. Itaq; omni auxilio destitutus, ad IESV iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum mediâ subiugabam. Nō erubesco confiteri infelicitatis meæ miseriam; quin potiùs plango, me non esse, quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebrò iunxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam, pertimescebam; & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam: & sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebā; ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum: &, vt ipse testis est Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum;
Cant. 2. & lætus gaudensque dicebam: Post te in odorem vnguentorum tuorum cucurrimus.



Sanctus Hieronymus.

25.

S. Ambr. lib. de Viduis.

CASTITAS
SOLITVDINEM
QVÆRIT
PVDICA
SECRETVM
IMPVDICA
CONVENTVM.



Exultabit solitudo, et Florebit quasi lilium. Germinans germinabit, exultabit lætabunda et laudans. Isaiæ 35.

A. Bloemaert Inu. B. A. Bolsuerd. sculp. et exc.

MARIA DEI MATER.

Hieron. in Oseæ c. 13.

ADDVCET vrentem ventum Dominus de deſerto adſcendentem: *Deſertum intelligimus ſanctæ* MARIÆ *vterum Virginalem, quòd abſque ſemine humano nullo frutice pullulauerit: ſed virga ſimplex atque puriſſima, & vnione fæcunda, ediderit eum florem, qui dicit in Cantico Canticorum:* Ego flos campi & lilium conuallium.

Cant. 2.

Hiero. epi. 7. ad Lætã.

Ambr. li. 4. epiſt. 31. ad Sabinum.

MARIAM *ſolam in cubiculo ſuo reperit Gabriel: & ideò forſitan timore perterrita eſt, quia virum, quem non ſolebat, adſpexit.*

Luc. 1.

SOLA *erat* MARIA, *& loquebatur cum Angelo; ſola erat,* quando ſuperuenit in eam Spiritus ſanctus, & virtus Altiſſimi obumbrauit eam; *ſola erat, & operata eſt mundi ſalutem, & concepit Redemptorem vniuerſorum.*

Hieron lib. 2. in Lucã.

SOLA *in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret, ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo ſalutatur. Diſce virgo verborum vitare laſciuiam.* MARIA *etiam ſalutationem Angeli verebatur.*

mbro. li. 2. in Lucã.

MARIA *læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio, in montana perrexit. Quo enim iam Deo plena, niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet? Neſcit tarda molimina ſancti Spiritus gratia.*

Hiero. epi. 17. ad Marcellam.

MARIA *Mater Domini, poſtquam ad eam Angeli facta eſt promiſſio, & vterum ſuum intellexit eſſe domum filij Dei, derelictis campeſtribus ad montana perrexit. Hæc enim terra montuoſa, & in ſublimi poſita, quantum à delicijs ſæculi vacat, tantò maiores habet delicias Spiritus.*



S. Maria Mater Dei.

i.

XXII. Iulij.

S. MARIA MAGDALENA.

Ex vitâ eius per Radulphum Ardentem.

MARIA MAGDALENA, *nobilibus & copiosis parentibus nata, post Dominicæ resurrectionis gloriam, Ascensionisque triumphum, ac Spiritus paracliti de supernis promissionem, qui discipulorum corda tẽporalis pœnæ adhuc formidine trepidantia, scientiâ omnium linguarũ illustrauerat, cum fratre, sorore Marthâ, & Marcellâ pedisequa, ac Maximino (vno ex septuaginta duobus discipulis Christi Domini, qui totam illam domum baptizauerat) multisque aliis Christianis comprehensa à Iudæis, in nauem sine velo ac remigio imponitur, vastissimoque mari ad certum naufragium committitur: sed nauis, Deo gubernante, saluis omnibus Massiliam appulsa est. Eo miraculo & horum prædicatione, primùm Massilienses, mox Aquenses ac finitimæ gentes in Christum crediderunt: Lazarusque Massiliensium & Maximinus, Aquensium Episcopus creatur.* MAGDALENA *verò assueta orationi & pedibus Domini, vt optimâ parte contemplandæ cœlestis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vastam altissimi montis speluncam se contulit, vbi triginta annos vixit ab omni hominum consuetudine disiuncta, quotidieque per id tempus ad audiendas cœlestium laudes septies in altum ab Angelis elata. Appropinquante verò tempore, quo beata carnis ergastulo solueretur, vidit Dominum, cui se omni pietatis studio mancipauerat, ad cœlestis regni gloriam misericorditer se vocantem; vt cui temporalis vitæ subsidium in terrâ ministrauerat, ab ipso cœlestis vitæ pabulum sine fine gratulabunda perciperet. Transiit autem vndecimo kalendas Augusti. Cuius sanctissimum corpus beatus Maximinus Antistes assumens, diuersis conditum aromatibus in honorifico collocauit mausolæo, construens super beata membra mirabilis architecturæ basilicam.*



S. Maria Magdalena.

2.

xxv. Dec.

S. EVGENIA.

Ex Vitis Patrum.

EVGENIA fuit sub Commodo Imperatore filia Philippi, viri clarissimi, in vrbe Româ. Missus autem pater ab Imperatore in ciuitatem Alexandriæ, vt præfecturæ magistratum gereret, secum vexit vxorem & proles; quarum vna fuit beata EVGENIA: quæ cùm litteras edisceret, & in multorum librorum lectione versaretur, incidit in Epistolas S. Apostoli Pauli, ex quibus Christi fidem didicit. Cùm anno quintodecimo ætatis ei sponsus proponeretur, illustrissimis ortus natalibus, respondit: Maritus moribus, non maioribus eligendus est. Inde patrios tumultus & mundi fallaciam derelinquens, cum duobus eunuchis ad monasterium, quod est ante ciuitatem Alexandriæ, se contulit, virili habitu induta. Accepto igitur hospitio ab Heleno Heliopolis Episcopo, declarans quare illuc venisset, diuino baptismate cum iis, quos secum duxerat, lustrata, est, & in ordinem monachorum aggregata; & post aliquod tempus monasterij curam sibi creditam suscepit. Vbi propter miracula, quæ per illam Deus efficiebat, facta est familiaris mulieri cuidam ordinis senatorij, quæ Melanthia vocabatur: accusata posteà est ab illâ, quasi ad stupri consuetudinem illam prouocasset; crimen obiciens, quod illius naturæ repugnabat: existimans enim marē esse propter speciem habitus, eius pulchritudine vulnerata, cùm sæpe periculum faciens ab eâ repulsa esset, detulit illam ad Philippum Præfectum: Cùm verò is illam accersiri iussisset, veritas detecta est, non solùm quòd in habitu viri esset mulier, sed etiam quòd Præfecti esset filia: quare patrem, & matrem, & multos ex familiâ, ad Christianorum fidem attraxit; & pater quidem Præfecti dignitate depositâ, baptizatus est, pòstea & martyrij perfectionem assecutus, irruentibus in eum in templo idolorum infidelibus, qui & illū gladiis interfecerunt: Sancta verò EVGENIA Romam adducta est cum matre & fratribus, Proto & Hyacintho eunuchis, qui obtruncati sunt; ipsa verò saxo graui alligata in Tiberim flumen proiecta est; atq; illinc seruata, gladio consummationē accepit.



Sancta Eugenia.

3.

xiii. Martij.

S. EVPHRAXIA.

Ex Vitis Patrum.

EVPHRAXIA virgo Constantinopolitana, Theodosij iunioris consanguinea, defuncto Patre ab Euphrasiâ matre Theodosio commendata, Senatorio cuidam viro quinquennis despōdetur. Illa verò discedens cum matre, in Thebaidem Ægypti profecta est, & monasterium ingressa, in quo erant virgines centū & quatuor, parem Angelis vitam ducentes; & æmulata earum virtutem, à monasterio ipso discedere passa non est. Vbi consentiente matre ab Abbatissa cilicino habitu monasterij induitur. Iam mater eam Domino commendauerat, cùm mox humilitate & sanctâ conuersatione pollere cœpit; & mirâ in cunctis ministeriis obedientiâ superauit vniuersas. Mater verò illinc discedens Orientis monasteria obeundo, possessiones multas & beneficia indigentibus cōtulit. Post hæc, cùm in morbum incidisset, reuersa est ad mansionem, in quâ filiam reliquerat: cumque omnes facultates filiæ commisisset, requieuit in Domino. EVPHRAXIA verò cùm bona omnia pauperibus & ecclesiis Dei distribuisset, monasticæ vitæ exercitationem egregiè amplexa, tantū in virtute profecit, & necessitates corporis subiugauit, vt per quadraginta quinq; dies immobilis steterit, intentis ad cœlū manibus. Multas diaboli tentationes pertulit, quas abstinentiâ vicit. Nam & lapidem capiti supposuit, & cinere stratum conspersit. Verùm enimuero cùm diabolus hanc omnino superare nō posset, aliis modis instat. Cùm ex puteo hauriret aquam, capite deorsum à dæmone præcipitatur, sed à sororibus incolumis educitur: deiicitur è solario, & illæsa reperitur. Cæterùm propter excellentes virtutes beata EVPHRAXIA miraculorum gratiam accepit, quâ multos à variis languoribus liberauit. Cùm ei dies mortis diuinitus abbatissæ monitu nuntiaretur, valde indoluit, quòd tam citò euocaretur ex hac vitâ, antequam plenè se expiasset. Cur, inquit, Domine, abominatus es me peregrinam & orphanam? cur despexisti me? Ecce tempus, quando debebam cum diabolo pugnare, & anima mea à me expetitur.



Sancta Euphraxia.

4.

1. Ianu.

S. EVPHROSYNA.

Ex Vitis Patrum.

EVPHROSYNA *virgo, beati Paphnutij Ægyptij filia, septennis baptisatur. A multis in vxorem expetita, tandem viro clarissimo & ditissimo desponsdetur. Cùm esset octodecim annorum abijt cum eâ Pater ad monasterium, vt illam precibus Abbatis commendaret, qui locutus est cum eâ; & benedicens exhortabatur ad castitatem, humilitatem, & patientiam timoris Domini: cœpitque cor eius esse sollicitum, & monasterij mores sedulò perscrutari. Instructa tandem à sene monacho tondetur, & habitu induta virili, eunuchum se simulans, relictá domo, ad monasterium festinat; ibique admissa Smaragdum se nominat, & consignatur in monachum: deinde Agapito erudienda traditur: & quia pulcrâ erat facie, Abbatis iussu solitudo ei præcipitur, ne sit aliis scandalo. Fecit autem Agapitus omnia, quæ sibi à Patre monasterij fuerant imperata; & introduxit Smaragdum in cellam solitariam; vbi orationibus vacabat, ieiuniis & vigiliis nocte ac die operā dabat, seruiens Domino in simplicitate cordis. Anxius interea pater,* EVPHROSYNAM *iubet inquiri; quâ non repertâ, tāquam mortuam lugebant eam; socer nurū, sponsus spōsam, pater filiam. Pergit pater ad monasteriū, rogat, orent Dominum vt dignetur ostendere, quid factum sit de filiâ Paphnutij: sed nihil eis reuelatum est; oratio enim* EVPHROSYNÆ *erat ad Deum die noctuque, ne manifestam eam faceret in vitâ suâ Deus. Abbas Paphnutiū consolatur, & afflictum nescius ad filiam misit, vt patrem filia consolationibus attolleret. A filiâ cognitus non cognouit eam, quia species vultus emarcuerat præ nimiâ abstinentiâ, vigilijs & lacrymis. Mœrentem itaque patrem solatur filia, & ille iam lætior domum reuertitur. Compleuit autem Smaragdus in cellâ solitariâ triginta & octo annos, & incidit in infirmitatem; cognoscens ergo, quia instabat dies dormitionis eius, vocauit Paphnutium patrem, & cùm se ei reuelaßet, tradidit spiritum.*



Sancta Euphrosyna.

5.

xx/x. Octo.

S. MARIA NEPTIS ABRAHÆ.

Ex sancto Ephraem.

M*ARIA defunctis parentibus, vnica relicta filia, Abraham eremitæ, qui eius erat patruus, committitur. Docebat eam ille psalterium & scripturas; atque ipsa in omni abstinentiâ æmulari suum patruum nitebatur. Exultabat Abraham patruus eius, sic eam promptam sine vllâ hæsitatione in cunctis virtutibus promoueri, in lacrymis, in humilitate, in modestiâ, in quiete, & quod his sublimius est, erga Deum eximiâ charitate. Viginti siquidem annis in abstinentiâ degens, velut agna pudicissima atque incontaminata columba patruo convixit. Quo tempore annorum expleto, sæuiebat aduersus eam diabolus, & insidias prætendebat, vt eam suis cassibus irretiret. Insidiabatur ille, donec vinceret. Itaque constuprata, patruum deserit, seq; stabulario locat, & biennio luxuriatur; sed sanctus Abraham de lapsu neptis in visione monitus, die noctuque nunquam pro eâ Dominũ deprecando relaxauit animum, quousq; sub militis schemate turpitudinis locum ingressus est. Illa complexa ceruicẽ eius, osculis demulcebat. Cumque oscularetur eum, odorata eius corpusculum suauissimo odore abstinentiæ fragrare, recordata est dierum, quibus cũ summâ abstinentiâ vixerat; & quasi quodam telo percussa in animo vehementer ingemuit, lacrymasque profudit; & tanquam vim cordis non sufferens, in hæc verba prorupit: Væ, væ, mihi miseræ soli. Solatus eam est Abraham, & cum gaudio cellulæ restituit. Hic induta cilicio, in humilitate cordis, oculorum fletibus perdurabat; vigiliis quoque arctissimisque abstinentiæ laboribus semetipsam conficiens, spe veniæ firmissimâ proprium deplorabat scelus; tam iugiter deprecationibus vacans, vt nullus non illacrymaret, qui vocem fletus eius audiret. Sic autem Dominum, vt sibi ignosceret, exorabat, vt signum aliquod acceptæ pœnitentiæ diuinitus postularet, & post triennij plenitudinem obtineret.*



S. Maria Neptis Abrahæ.

6.

VIII. Octo.

S. THAISIS PECCATRIX.

Ex Vitis Patrum.

THAISIS *ab adolescentiâ suâ fuit à propriâ matre deprauata, seque officinā diaboli constituit. Sed à viro sancto Paphnutio conuersa est, & pœnitentiâ scelerum compuncta, collectis omnibus quæcunque ex peccato susceperat, prolatisque in mediâ ciuitate, populo spectante, igni supposuit: erat autem pretium librarum quadraginta. Posthæc ad locum à Paphnutio constitutum venit; quam ille, reperto virginali monasterio, in cellulâ paruâ recludens, ostium cellulæ plumbo signauit, paruamque reliquit fenestellam, per quam ei cibus modicus inferretur, iussitque ei omnibus diebus parum panis & aquæ à sororibus monasterij ministrari. Cùm autem discederet ostio plumbato, ait ad illum* THAISIS; *Quò iubes, pater, vt aquam meam effundam? at ille respondit: In cellâ, vt digna es. Cumq; iterum, quemadmodum Deum oraret, requireret, dicit ei: Non es digna nominare Deum, nec in labijs tuis nomen diuinitatis eius adducere, sed nec ad cælum manus expandere: quoniam labia tua iniquitate sunt plena, & manus tuæ sordibus inquinatæ; sed tantummodo sedens contra Orientem respice, hunc sermonem solum frequenter iterans:* Qui plasmasti me, miserere mei. *Post trium verò annorum pœnitentiam Abbas Paphnutius rediens, post reuelationem sibi à Deo de illâ factam, ostium, quod plumbo signauerat, dissipauit. dixitque ei: Egredere, quia dimisit tibi Deus peccata tua. At illa. Testor, inquit, Deum, quia ex quo huc ingressa sum, ex omnibus meis peccatis quasi sarcinam feci mihi, & ante oculos meos statui; & sicut non recessit anhelitus de naribus meis, ita nec quidem vno momento vsque ad hanc horam peccata mea recesserunt à me. Et cùm eam inde eduxisset, quindecim tantùm diebus* THAISIS *vixit, & sic pausauit in pace.*



Sancta Thaisis.


7.

S. PELAGIA PECCATRIX.

viii. Octob

Ex Iacobo Diacono.

PELAGIA *Antiochena, pantomimarum prima, corpore pulcherrima, habitu ambitiosa, cùm Ecclesiam ingressa beatissimũ Nonnum de futuro iudicio & cœlesti gloriâ sincerissimè loquẽtem audiuisset; subitò compuncta est timore Domini. Et statim venit ad locum vbi congregati erant Episcopi, apprehensisque pedibus beati Nonni dixit: Rogo te, Domine meus, imitare magistrum tuum Dominum* Iesvm Christvm, *& fac me Christianã. Ego enim sum Domine meus, pelagus peccatorum, & abyssus iniquitatis. Peto me baptizari. Deinde iußa surgere, cùm audisset Canones inhibere meretricem baptizari, nisi dato fideiußore; iactauit se iterum in pauimentum: & apprehensos Sancti Nonni pedes lachrymis lauit & capillis suis extergebat dicens: Rationem reddes Deo pro animâ meâ, & tibi adscribã iniquitates meas, si distuleris me iniquam & turpissimam baptizare. Quo audito, Nonnus Episcopus exorcizatã baptisauit, & imposuit ei signũ Domini, tradiditque illi corpus Christi. Hinc diaboli planctus contra Nonnum: hinc eiusdẽ blanditiæ erga* Pelagiam. *sed illa crucis se signo muniens, insufflauit in hostẽ, & statim nusquã cõparuit. Porrò datis omnibus facultatibus suis in vsum pauperum, orphanorũ viduarumque expendendis, illa octauo die, quando vestis alba deponenda erat, de nocte, omnibus inscijs, albâ depositâ, & ciliciũ induta, petijt Hierosolymam; vbi in monte Oliueti, constructâ cellulâ, nomen assumens* Pelagii, *quasi Eunuchus sanctè conuersatur. Accidit post hæc vt Diaconus quidam Hierosolymæ loca sancta &* Pelagiam *visitaret; sed agnoscentem se non agnouit; quippe quæ pulcherrima fuerat; iã præ inedia in marcorẽ versa erat. Oculi enim eius sicut fossæ videbãtur. Magna interim fama vagabatur de* Pelagio, *quare secundò eã visitat, & mortuum inuenit cuius dum corpus lauatur & vngitur,* Pelagivs *femina deprehenditur. Exclamauerunt igitur voce magnâ dicentes: Gloria tibi Domine* Iesv Christe, *qui multas diuitias absconsas habes super terram, non solùm viriles, sed etiam muliebres. Cum cereis itaque, lampadibus & hymnis sacrum corpus à Patribus sepelitur.*



Sancta Pelagia.

8.

11. April.

S. MARIA ÆGYPTIACA PECCATRIX.

Ex Sophronio Epiſc. Hieroſol.

MARIA ÆGYPTIACA *duodennis, ſpretis parentibus Alexandriam venit, vbi decem & ſeptem annis inſatiabiliter vitio libidinis ſubiugata iacuit; adeoq́ue quò plures ad eam concurrerent, gratis quoque ſceleris impleuit deſiderium, mendicans interim, vel ſtupam filando victitans. Contigit interea multos Hieroſolymam nauigare ob Sanctæ Crucis exaltationem; quò cùm & ipſa, non pietatis ergô, ſed vt multos haberet ſuæ libidinis cooperarios, aſcendiſſet, & vſque ad templi limina proceſſiſſet, aliis & aliis ingredientibus illa diuinitus repulſa, intra templum non admittitur. Hoc ter & quater paſſa, tandem intellexit ſe ob ſcelera ab aſpectu ſanctæ Crucis arceri. Itaque compuncta beatiſſimæ virginis* MARIÆ *ſuffragia implorat, vt ſanctam Crucem videre poſſit, promittens ſe ex hoc nunquam vltra ſuam carnem coinquinaturam. Nec mora: tentat ingredi; & nullum ſentit, vt priùs, ingrediendi obſtaculum; quin magis, vt vnda mare, ſic eam turba intrò impellere videbatur. Tunc illa pro voto lignum ſanctum adorauit, ac deinde egrediens ad locum, vbi Dei Matri promiſſionem fecerat, voce miſsâ cælitus docetur, quid facere debeat. Itaque feſtinanter acceptis tribus panibus in eremum tetendit. Vbi quadraginta & ſeptem annis ſic vixit, vt nec hominem nec animal viderit, ſed ipſum Deum ſolum ſpectatorem habuerit. Conſumptis panibus, quibus ſeptendecim annis victitârat, herbis nutriebatur. Sed & veſtimentis eius diruptis atque putrefactis, pruinis poſtea hyemalibus & æſtiuis ardoribus ita cruciata fuit, vt multoties in terram cadens abſque ſpiritu iaceret immobilis. Primis decem & ſeptem annis immenſis tentationibus exagitata, Dei gratiâ victrix euaſit. hanc denique Zozimas ad eam eremi partem veniens inuenit, cui ſacroſancta myſteria in veſperâ ſanctæ Cœnæ miniſtrauit, ac demum leonis miniſterio iam ab anno defunctam ſepeliuit.*



S. Maria Ægyptiaca.

9.

XII. Febr.

S. MARINA VIRGO.

Ex Vitis Patrum.

MARINA virgo Alexandrina, habitu & nomine mutato, à patre Monacho deducitur ad monasterium, & MARINVS vocatur. Quæ cum esset annorum quatuordecim cœpit eam docere pater suus viam Domini. Dum autem facta esset annorum decem & septem, defunctus est pater eius. Remansit verò hæc sola in cellâ patris sui, & erat obediens omnibus in monasterio: ita vt ab Abbate suo & ab omnibus diligeretur. Iussus ab Abbate frequenter ibat ad emporium, vt afferret necessaria domus, & ibidem cum cæteris monachis, si quando seriùs esset, manebat in pandochio. Contigit autẽ per insidias inimici vt pandox ille haberet filiam virginem, ad quam ingreßus miles stuprauit eam, & grauidam reliquit. Detectâ fraude, cœpere parentes affligere puellam, vt autorem sceleris proderet. Illa MARINVM nominat. Parentes itaque ad Abbatem pergunt, & MARINVM monachum fornicationis accusant. Vocata venit & peccatum quod non admisit, quasi à se perpetratum agnoscit. Iratus Abbas, iubet eam contundi, affligi & è monasterio eijci. Ipsa verò nunquam vlli confessa est arcanum suum, sed eiecta posuit se in terra ante fores monasterij affligens se tanquam ipsa peccasset, & ab ingredientibus fratribus postulabat, vt vel vna buccella panis ei daretur, vt nutriret filium alienũ. Elapsis annis quinq; rursus in monasterio admittitur, & vilissima obit ministeria: Sancta verò libenti hæc animo suscipiens, omne opus quod ei iussum fuerat, sedulò perfecit. Contigit autem eam intra paucos dies dormire in Domino, & cognouerũt quia femina esset. Fornicaria à dæmone arrepta prodit hominem, qui deceperat eam, & apud sacrum corpus MARINÆ liberatur. Quæ fama vbi per totum emporium, & vicina loca sparsa fuit; ingens accurrit multitudo ad sacrum MARINÆ Oratorium, cum crucibus, ceris, Hymnis, & Psalmis eius funus prosequens, & opem eius implorans.



Sancta Marina.

10.

S. FABIOLA VIDVA.

Ex Diuo Hieron.

FABIOLA, *post diuortium factum cum priori viro, secundas nuptias illicitè contraxerat: sed post eius mortem in semet reuersa, saccum induit vt errorem publicè fateretur, & totâ vrbe spectante Romanâ, stetit in ordine pœnitentium. Dissoluta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Mariâ sorore Moysi seperata consedit:* Leuit. 13. *vt quam sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Receptâ sub oculis omnis Ecclesiæ communione, quid fecit? Scilicet in die bonâ malorum non oblita est: & post naufragium, rursum tentare noluit pericula nauigandi; sed prima omnium Nosocomium instituit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & consumpta languoribus atque mediâ miserorum membra foueret. Quoties morbo regio & pudore confectos humeris suis ipsa portauit! Quoties lauit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat! Præbebat cibos propriâ manu, & spirans cadauer sorbitunculis irrigabat. Quod monasterium non illius opibus sustentatũ est? Quem nudũ & clinicum non* FABIOLÆ *vestimenta texerunt? In quorum se indigentiam non effudit præceps & festina largitio? Angusta misericordiæ eius Roma fuit. Ergo peragratis insulis monachorum choros visitat, & Ierosolymam nauigat ministrare sanctis. Quæ cùm ita solitudinem cuperet, vt diuersorio* MARIÆ *carere nollet ecce Hunnorum in Romanum orbem irruptio: quare cum aliis nauẽ conscendere & in Italiã remeare compulsa est, vt ibi pauper viueret vbi diues fuerat. Sed Romana cernens mœnia, inclusam se esse plangebat. Oblita sexus, fragilitatis immemor, ac solitudinis tantùm cupida, ibi erat vbi animo morabatur. Sic festinabat, sic impatiens erat morarum, vt illam crederes profecturam. Itaque dum semper paratur, mors eam inuenire non potuit imparatam: dormiuit illa quomodo voluit, erogatis antè in monachos & seruos Dei facultatibus; & depositâ tandẽ sarcinâ leuior volauit ad cœlum.*



Sancta Fabiola.

ii.

xxvi. Ian.

S. PAVLA VIDVA.

Ex Diuo Hieronym.

PAVLA, nobilissima Romanorum vidua, relictis omnibus, cum solâ Eustochio Româ soluit; & venit Ierosolymam, vbi cuncta loca tanto ardore ac studio circumiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci. Quid ibi lacrymarum, quantū gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Ierosolyma, testis est ipse Dominus, quem prostrata, quasi pendentem in cruce cerneret, adorabat. Nec multo post in sancta Bethlehem mansura perpetuò, angusto per triennium mansit hospitiolo, donec extrueret cellulas ac monasteria, & diuersorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones, in qua MARIA & IOSEPH *hospitium non inuenerant. Hic tantâ se humilitate deiecit, quasi foret ancillarum vltima. Vidua nunquam cum viro comedit. Mollia, etiam in grauissimâ febre, lectuli strata non habuit: sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat: si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctesque iungebat. Crederes in eâ fontes lacrymarum. Monita vt parceret oculis, aiebat*· Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussâ, & stibio sæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs. Longus risus, perpeti cōpensandus est fletu. *Inter hæc castitate insignis fuit, in quâ etiā cùm sæcularis esset, omniū Romę Matronarum exēplum fuit. Si pauperem videbat, sustentabat; si diuitē ad benefaciendum hortabatur. Liberalitas sola excedebat modum. Nullum pauperem vacuum remisit. Patientiâ liuorem superabat, humilitate vincebat omnes. Tantæ continentiæ fuit, vt propè mensuram excederet, & debilitatem corporis nimijs ieiunijs ac labore contraheret. Sacrę scripturæ testimonijs, quasi armaturâ Dei, tentationibus resistebat. His alijsquè multis virtutibus prædita, & longo coronata martyrio, cùm sentiret adesse mortem, crucis signum pingebat in labijs identidem iterans;* Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. *atque ita obdormiuit in Domino.*

Psal. 25.



S. Paula Romana.

12.

xxviii. Sep.

S. EVSTOCHIVM VIRGO.

Ex Diuo Hieronym.

EVSTOCHIVM *Paulæ filia, virginitatis & Ecclesiæ pretiosum monile, Romæ nata est, & in cubiculo sanctæ fœminæ Marcellæ, virginũ moribus eruditur. Inde in Himettij, patrui sui, commigrauit domum. Cuius vxor Prætextata, nobilissima fœmina, habitum eius cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens & virginis propositum & matris desiderium: & ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tune ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus, quæ iam nunc arescent; vt sentias excruciata quid feceris: & finito mense quinto ad inferna duceris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis & filijs. Omnia per ordinem expleta sunt; & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit; ita sibi* EVSTOCHIVM *reuindicauit, quæ Deum elegerat & quam ipse Deus præelegerat, vt in specũ Saluatoris sui intraret, & in sacro virginis Mariæ habitaret diuersorio. Iam Romæ præferebat Bethlehem, & auro tecta fulgentia, informis luti vilitate mutare cogitabat. Cum matre igitur Româ soluit, & Palæstinam ingressa est. Hic quãto studio, quibus lachrymis loca sacra visitauit, testis est ipse Dominus, quem adorabat & in membris suis honorabat. Cũ matre Paulâ in Bethlehem mansura perpetuò, exiguo per triennium mansit hospitiolo, sit matri indiuidua, vt nunquã absque eâ cubaret, nunquam procederet, nunquam cibum caperet, ne vnũ quidem nummũ haberet potestatis suæ, sed & paternam & maternã substantiam à matre distribui pauperibus lætaretur, & pietatem in parentẽ, hæreditatem maximã & diuitias crederet. Orbata Matre, cũ sacris alijs virginibus sanctum quod suscepit propositũ, & vitæ institutum quod arripuit, maioribus in dies virtutum incrementis adauxit, ac tandem feliciter consummauit.*



Sancta Eustochium.

13.

xxxi. Ian.

S. MARCELLA VIDVA.

Ex Diuo Hieronym.

MARCELLA orba patris morte, viro quoque post nuptias septimo mense priuata est. Cumque à Cereale Consule ambitiosiùs expeteretur, qui iam longæuus omnes suas in eam valebat transfundere diuitias, respondit. Si vellem nubere, & nō æternæ me cuperem pudicitię dedicare, vtique maritum quærerem, non hæreditatem. Prima igitur Romæ Christianam coluit viduitatem, quam & conscientiâ & habitu promittebat. Vsa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret: aurum vsque ad annuli signaculum repudians, & magis in ventribus egenorum, quàm in marsupijs recondens. Nusquam sine matre. Sine arbitris ne clericis quidem & monachis loquebatur. Semper in comitatu suo virgines ac viduas, & ipsas graues feminas, habuit. Diuinarum scripturarum ardore flagrabat incredibili. Illi erant moderata ieiunia, carnium abstinentia, vini odor magis quàm gustus, propter stomachum & frequentes infirmitates. Rarò procedebat ad publicum, & maximè nobiliū matronarum vitabat domos, ne cogeretur videre quod contempserat: Apostolorū & Martyrū basilicas secretis celebrabat orationibus: matri in omnibus fuit obediens. Nulla eo tempore nobilium feminarum nouerat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei nouitatem, ignominiosum (vt tunc putabatur) & vile in populis nomē assumere. Hæc tamen non erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat. Hanc multos post annos imitata est Sophronia & aliæ. Huius amicitijs fruita est Paula venerabilis, in huius cubiculo nutrita Eustochium, virginitatis decus: vt facilis æstimatio sit qualis magistra, vbi tales discipulæ. Suburbanus ager pro monasterio fuit, & rus electum pro solitudine, multoque ita vixit tempore, vt ex imitatione sui & conuersatione multarum Roma fieret Ierosolyma. Non multò pòst Româ à Gothis captâ, MARCELLÆ quoque domum cruentus victor ingreditur, qui cæsam fustibus & flagellis ad Apostoli Pauli basilicam deduxit. Post aliquot dies sano, integro, vegetoque corpusculo dormiuit in Domino.



Sancta Marcella.

14.

S. MELANIA SENIOR VIDVA.

Ex Hieron. & Palladio.

B*Eatissima* M E L A N I A *Romana, consularis Marcellini filia, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios. Nec lacrymæ tamen gutta fluxit. Stetit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi:* Expeditiùs, *inquit*, tibi seruitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti. *Itaque cùm esset vidua agens annũ vigesimũ, diuino amore digna, sponso qui in cælis est mẽte copulari meruit. Hæc, vt filio suo vnico tutor nominatus fuit, collectis rebus suis nauigauit Alexandriam. Inde, cùm omnia vendidisset & in aurum minutum redegisset, Nitriæ attigit montem, atque ibidem per sex menses commorata, omnes qui illic erant sanctos vidit & inuisit. Monasterio Ierosolymis ædificato, viginti septem annis in eodem virginibus convixit. Quantum opum illa dispersit amore Dei, testis est totus orbis. Triginta enim & septem annis hospites excepit, sicque iugiter in suscipiendo ac omnes fouendo permansit, vt ne vnius quidem in solo palmæ spatium voluerit possidere. Cùm de neptis statu audisset, quòd vellet sæculo renuntiare, auus sexaginta annos nata, Cæsareâ nauigans viginti dierum spatio Romam venit, atque illic Pinianum neptis maritum, catechesi instituit, persuasitque perpetuam cum vxore continentiã seruare: quorum exemplo multi conuenere, qui distractis omnibus suis sæculo nuntium remisere. Contra omnes autem alios Romani nominis viros atque matronas, ceu contra feras, dimicabat. Prohibebant eam à cæteris omnibus, ne fortè aliquos ad honestum & tranquillum vitæ portum vi doctrinæ suæ conuerteret. Et hos omnes sæcularibus laqueis expeditos ad vitam solitariam deduxit: filium quoque admodum iuuenem consilio docuit, vt volebat; & ad Siciliam perueniens omnibus rebus suis ibi distractis Ierosolymam repetiit. Vbi suis opibus ex propriâ voluntate diuisis, intra quadraginta dies, optima ac mansuetissima feminarum, beato fine requieuit.*



Melania Senior.

15.

S. MELANIA IVNIOR VIDVA.

xxxi. Dec.

Ex Palladij Lausiacâ.

Melania ætate iuuenis, pietatis autem sententiâ vetula, cùm à parentibus inuita nubere cogeretur Piniano, viro vrbis Romæ primario, tam iugibus auiæ suæ doctrinis stimulata est, tantumque fuit sauciata, vt matrimonio non posset inseruire. Cùm autem ei nati essent duo filij masculi, ijque decessissent, tantum eam cœpit odium matrimonij, vt quibus posset modis viro continentiam persuaderet. Si volueris, inquit, mecum habitare, vt ratio dictat temperantiæ, & te dominum agnosco, & profiteor meam vitam esse in tuâ potestate. Tantùm permitte, vt satisfaciam meo, quod est ex Deo, desiderio, facta hæres eius, quæ est ex Deo, virtutis meæ auiæ, cuius etiam nomen gero. Si enim vellet nos Deus degere in hoc mundo, & frui rebus mundanis, non filios mihi natos accepisset immaturos. Ad postremum Deus misertus adolescentis, misit in cor eius continenter viuere, & omnia quæ mundi sunt, arbitrari vt stercora. Vigesimo ergo ætatis suæ anno Melania mundo renuntiat: & primùm quidem omnia sua serica vertit in ornatum ecclesiæ; argentum autem & aurum Sanctis viris in Oriente distribuit. ecclesijs autem Occidentis, monasterijs, Xenodochijs & omnibus egentibus per seipsum in hilaritate ministrabat necessaria. Ita enim singulis suam pecuniam diuidebat, vt singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nemo ab eâ pauperum vacuus reuersus est. Seruos verò promiscui sexus, quicunque manumitti volebant, vsque ad octo milia liberos fecit. Huiusmodi autem erat eius exercitatio: Post alterum diem consueuit cibum sumere; nam inter ipsa principia quinto quoque gustabat die: cum ancillis suis diurnas ministerij vices obibat, quas in monasterio vt sorores habuit. Cognatos ad religiosam traxit vitam, vt cum ipsâ religiosè Deum colerent.



S. Melania Junior.

16.

SS. CANDIDA ET GELASIA.

Ex Palladij Lausiacâ.

BEATA CANDIDA, *Traiani ducis vxor, magna Christi nominis & cultrix egregia, castitate laudabilis, varijs Dei domum ijsque pretiosis decorabat ornamentis. Episcopos & omnem Christi clerum tanquam verbi Dei præcones, & Sacramentorum administros pro dignitate venerabatur. Cùm filiam suam instituisset in sorte virginitatis, eam præmisit ad Christum, donum suorum ilium; posteà autem ipsa quoque temperantiâ, & castitate, & pecuniæ dispersionibus filiam suam est insecuta. Interrogata, cur totâ nocte laboraret, & moleret, & oblationis panem manibus suis ipsa formaret;* ad vires, *inquit*, corporis deprimendas: cùm enim non sufficat ieiunium, hanc ei do sociam laboriosam vigiliam, vt Esau dissoluam, eneruemque lasciuiam. *Hæc ipsa ab omni carne semper abstinuit, pisces tamen & olera cum oleo festis tantùm diebus sumere consueuerat. Per reliquum æui sui tempus oxycrato & sicco pane contenta viuebat. In hac vitæ asperitate cùm beatâ requie obdormijsset hæc mulier inclyta, nunc fruitur bonis æternis quæ parata sunt ijs qui diligunt veritatem & faciunt iustitiam, & operibus bonis insudant.*

Fructum quoque suæ exercitationis reliquit venerandam GELASIAM, *quæ zelo huius bonæ feminæ, veritatis viam ingressa est, piè trahens iugum virginitatis. Huius optimæ hæc fertur virtus, quòd sol nunquam occidit super eius iracundiam, non aduersus seruum, non aduersus ancillam, non aduersus aliquem alium. Hæc beata cùm effugisset viam eorũ, qui sunt acceptæ iniuriæ memores, quæ fert ad mortem æternam, euasit hunc malum diaboli stimulum: & cùm desideraret æternam peccatorum remissionem, remisit parua delicta, vt ipsa quoque inueniret maiorum remissionem.*



SS. Candida et Gelasia.

17.

v. Ian.

Ex Vitis Patrum.

SYNCLETICA miræ ſanctitatis femina fuit, quam velut perfectiſſimæ vitæ formam S. Athanaſius femineo ſexui ſolebat præſcribere, ſicut Antonij vitam viris pro normâ viuendi propoſuerat. Sed quia SYNCLETICÆ vita hodie non ſupereſt, referemus hîc aliquot eius ſcitè dicta ex Vitis Patrum. Eos, quibus in vitâ ſpirituali impedimenta à diabolo obijciebantur, hac ſimilitudine animare ſolebat; Qui nauigare cœperint, primò pandentes vela proſperum ventum inueniunt, poſteà autem contrarius eis ventus occurrit. Sed nautæ non mox propter incurſum contrarij venti, aut exonerant, aut deſerunt nauim; ſed paululum ſuſtinentes aut pugnantes aduerſus procellã, iterum rectum curſum inueniunt: Ita ergo & nos in contrarium ſpiritum incurrentes, crucem pro velo erigamus, & ſine periculo ſæculi iſtius nauigium explicabimus. *Interrogata, ſi perfectum bonum eſt*, nihil habere, *dixit*: Sicut fortia veſtimenta dum calcantur, & pedibus ſæpiùs reuerſantur, lauantur atque incandidantur; ita fortis anima per voluntariam paupertatem amplius confirmatur. *Solebat dicere ijs, qui ex impiâ vitâ ad ſanctiorem ſe conferebant:* Magnus labor eſt impiorum, qui conuertuntur ad Deum, & poſteà inenarrabile gaudium. Sicut enim qui ignẽ accendere volunt, priùs fumantur, & ex fumi moleſtiâ lacrymantur, ſicque obtinent quod volunt (Etenim ſcriptum eſt: Deus noſter ignis conſumens eſt;) Ita oportet & nos diuinum ignem cum lachrymis atque laboribus in nobis ipſis accendere. *Contra malas cogitationes hoc remedium ſuggerebat*: Sicut venenoſa animalia acriora medicamenta à ſe expellunt; ita cogitationem ſordidam ieiunium cum oratione depellit ab animâ.



18. Sancta Syncletica.

45

S. OLYMPIAS VIRGO ET VIDVA.

xvii. Dec.

Ex Palladij Lausiacâ.

OLYMPIAS, *pretiosum vas sancti Spiritus, Anysij Secundi Comitis filia, neptis Ablauij præfecti, Nebridij sponsa, cui cùm parentibus orbata in matrimonium tradita esset, cum eo viginti mensibus in continentiâ vixit: eo mortuo ad secundas nuptias non transijt, sed virgo simul & vidua remansit, omne tempus transigens in ieiunijs, orationibus, & pauperum beneficentiâ. Itaque omnes opes suas in curam Christi Sacerdotum exhausit, præsertim in Sanctum Ioannem Chrysostomum, quem præcipuè honorabat. Non vrbs, non rus, non solitudo mansit expers largitionum huius inclytæ virginis, sed & ecclesijs suppeditauit ad donaria deputata sacrificio, & monasterijs, & cœnobijs, & Xenotrophijs, custodijs, & relegatis, & (ut semel dicam) in omenm orbē terræ dispersit eleëmosynas. Humilitate superabat omnes: vita illi sine vllâ inani gloriâ, species nequaquam ficta, benigni mores, facies non fucata, corpus florens, mens non gloriosa, animus ab arrogantiâ alienus, somni expers vigilia, charitas immensa, infinita continentia, in Deum spes æterna. Vestimentis eius nihil vilius inueniri potuit, cùm pannosis etiam indigna essent huius sanctæ tegumenta. Tanta autem erat eius mansuetudo, vt etiam puerorum longè superaret simplicitatem: vidisses fonti potiùs æstate sua deficere fluenta, quàm huius tam sublimibus & Christum semper intuentibus oculis lacrymas deficere. Hæc ergo non amplius quæ mundi, quæ carnis erant, sed quæ Dei sunt, recogitans, pro Christi nomine contumeliam pati digna fuit, & sic ad Confessorum gloriam, pro veritate quam coluit, meruit peruenire. Nam talis in hoc mundo finis quoque vitæ fuit. Omnibus ad postremum se periculis opposuit, & in his mortua beatam accepit gloriam, & in infinito sæculo coronata pompam agit, nulli interitui obnoxias cum sanctis in æternum mansiones habitans, & bonorum operum à Christo Domino cùm fiduciâ accipiens remunerationem.*



19. Sancta Olympias.

S. ALEXANDRA VIRGO.

Ex Palladij Lausiacâ.

ANcilla Christi ALEXANDRA, cùm propter eximiam formæ pulchritudinem adolescẽs quidam, insano captus amore, eam deperiret, & illa constanter humanas nuptias recusaret, vt Christo multò suauiùs adhærere posset; maluit se viuam includere monumento, quàm adolescentis animam offendere, quæ ad imaginem Dei facta esset. Itaque relictâ ciuitate monumento se inclusit, & per foramen accepit quæ corpori necessaria erant. Rogata, quomodo ferre posset cum nullo omnino colloqui, sed sola pugnare cum desidiâ & cogitationibus, respondit: A mane vsque ad horam nonam oro, per horam lini fila duco, reliquis autem horis mente reuoluo vitam Sanctorum Patrum & Patriarcharum, & certamina beatorum Apostolorum, & Prophetarum & Martyrum, & ad eorum imitationem cœlestisque gloriæ palmam exardesco. Postquam autem aduentarit vespera, cùm Dominũ meum glorificauero, cibum capio, plurimas horas noctis perseuerans in oratione. Tandem anno duodecimo, ex quo sepulchro inclusa fuerat, neque in virorum, neque in mulierum conspectum venerat, cùm sub graui corporis labore die noctuque desudasset, totoque mentis desiderio ad cælestem patriam properaret, cuperetque dissolui & apparere ante faciem Christi Dei, cum admirando sanctitatis indicio ad Dominum læta migrauit, seipsam componens. Nam cùm virgo, quæ eius curam gerebat, eique necessaria subministrabat, ad eam accesisset, & illa non responderet, monumenti ostium amouit, & inuenit eam obdormisse. Inuisit aliquando ALEXANDRAM Melania Romana senior, sed (vt ipsa referebat) beatæ faciẽ intueri non potuit; sed stans circa foramen, omnem vitæ eius rationem didicit, vti iam descripsimus.



Sancta Alexandra.

20.

S. MAGNA VIRGO ET VIDVA.

Ex Palladij Lausiacâ.

FVERVNT in ciuitate Ancyrâ multæ quidē aliæ virgines, nempe ad decem millia, duo autem vel plura, quæ exercebantur & omni virutis institutione militabant; omnesque temperantiæ legibus claræ & insignes feminæ, diuinum certamen studio exquentes. Inter quas principatum obtinebat in pietate MAGNA, honestissima femina & probissima: quam nescio quid sim nominaturus, virginemue, an viduam; à matre enim vi viro coniuncta; eum tamen variis inescans dilationibus, & corporis morbos prætexens, à corruptionis vitio integra & intacta permansit: Cumque paulò pòst decessisset eius maritus, omnium simul facta est hæres vnica: & temporalibus deinceps commutans æterna, totam seipsam Deo obtulit, summè curam gerens vitæ quæ semper manet, suis famulis honestè imperans, agens vitam laboriosissimam & plenam temperantiâ: sub proposito ac vitâ monachorum, honestam propriæ domus curam gerens. Cuius, quoties hoc ratio vel necessitatis postulasset caussa, castus apud omnes & sermo & conspectus erat. In congressu tam seuera, vt ipsum eius aspectum reuererentur etiam excellentissimi Episcopi propter insignem pietatem & religionem. Atque ipsa quidem super uacaneam & nimiam opum materiam, poßessionum vacuitatis igne consumpsit: quæ autem super erant, ea constituit ad subministrationem monasterijs, ptochotrophiis, xenodochijs, ecclesiis, pauperibus, transeuntibus, Episcopis, orphanis, viduis, & omnibus egentibus suppeditans auxilium, non cessabat hilariter operari pietatem latenter & per se & per seruos fidelissimos, ab ecclesia nō recedens, noctu maximè: in omnibus in virtute se exercens, proper spem eius, quæ verè est vita.



21. *Sancta Magna.*

S. DOMNINA.

Ex Theod. Philotheo.

DIVINI Maronis vitam æmulata DOMNINA admirabilis, in horto maternæ domus paruum quoddam fixerat tuguriū. Ei autem tugurium efficiebat panici stipula. Continuis lacrymis non solùm rigabat genas, sed etiam vestimenta ex pilis: talibus enim indumentis tegebat corpus. Circa gallorum cantum ad diuinum templum, quod nō erat procul, vadens cum aliis & feminis & viris, vniuersorum Domino laudes offerebat. Hoc autem faciebat non solū die incipiente, sed etiam desinente, quouis alio locum Deo consecratū magis esse venerandum censens. Eâ de caussâ & eius magnam curam habuit, & matri fratribusque persuasit, vt facultates suas ad decorem domus Dei consumerent. Lens madefacta nutrimentū ei erat; & omnē hunc laborem sustinuit, cùm eßet planè exsiccato corpore & semimortuo. Pellis subtilissima, & quæ erat instar membranæ, ossibus vix hærentibus circumiecta erat. Proponebatur omnibus eam videre volentibus: sed neque vultus aspexit, neque aliis vultum suum videndum exhibuit; nempe quæ amictu penitus contecta & vsque ad genua incuruata erat. Voce gracili & non expressâ satis loquebatur, sed nunquam sine lacrymis. Vehemens enim amor in Deum illas parit lacrymas, pungit aculeis & vrget ad eum, qui est hinc futurus, excessum. Cùm quodam tempore eam Theodoretus Episcopus inuiseret, sumebat eius manum dexteram, & oculis imponebat: quam adeò madefactam dimittebat, vt ex ipsâ manu distillarent lacrymæ. Porrò quamuis in his diu noctuque versaretur, non ideò contempsit alios virtutum actus, sed pro viribus curabat Athletas Christi, monachis necessaria suppeditabat, vt eorum precibus obtineret æterna. Ita non suis tantùm orationibus cælum penetrabat, sed scalas quoque erexit ex suis facultatibus, quò expeditior ad cælum pateret aditus.



22. Sancta Domnina.

SS. MARANA ET CYRA.

Ex Theod. Philotheo.

FVIT *his patria Berhoea, patriæ genus insigne, educatio generi conueniens. Sed his omnibus contemptis, cùm exiguum quendam locum ante vrbem comprehendissent, & intrassent, luto & lapidibus ostium obstruxere. Famulas autem, quæ eiusdem vitæ volebant esse participes, exstructo extra ambitum habitaculo, iusserunt in illo habitare: ipsæ verò cùm neque domum nec tugurium haberent, sub dio suâ sponte vitam agunt. Pro ianuâ erat eis parua quædam fenestra, per quam alimenta susciperent, & cum ijs quæ veniebant colloquerentur mulieribus. Huic sacræ confabulationi tempus definitum erat Pentecostes, alio autem tempore vitam amplectebantur quietam. Ferrum gestabant & tantum onus, vt* CYRA*, cui corpus erat imbecillius, ad terram vsque incuruaretur, & corpus minimè posset erigere. Habebant autem vela maxima, vt retrò ad terram fluerent & pedes contegerent, anteriùs autem vsque ad ipsam zonam demitterentur, vultum simul & collum, & manus penitus occultantia. Hoc modo autem vixere, non quinque solùm vel decem solis transactis annis, sed quadraginta duobus. Et cùm tanto tempore decertassent, tanquam quæ nuper certare cœpissent, sudoribus gaudebãt: eâ de causa iniurias aëris patienter excipiunt. Diuini Moysis æmulatæ ieiunium, ter tanto tempore inediam sustinuere: ter quoque Danielis à cibo abstinentiam secutæ, tres dierum hebdomadas abstinebant. Ierosolymam profectæ nihil cibi in viâ sumunt: sed adorato Domino refectæ sunt; rursus à ieiunis confectum est iter, & reuersæ sunt. Peregrinantes ad S. Teclam, ibant & redibant ieiunæ. Atque eæ quidem quæ tali vitæ instituto femineum genus exornauere, vt quæ alijs fuerint exemplaria, modò coronantur à Domino,*



SS. Marana et Cyra.

23.

N 2

S. SYLVIA VIRGO.

Ex Palladij Lausiacâ.

BEATA SYLVIA virgo, soror fuit Ruffini ex præfecti. Hæc cùm nauigaret ab Æliâ in Ægyptum, habebat in comitatu suo Iubinum diaconum, virum pium & eruditũ. Cùm autem vehementissimus eos æstus inuasisset, & peruenissent Pelusium, accidit vt Iubinus acceptâ pelui, pedes & manus lauaret aquâ frigidissimâ, & postquam lauißet, super pelliculam humi stratam requiesceret. Cùm autem illa aduertisset, vt mater sapiens, germani filij eius increpauit mollitiem, dicens: Quî in animum inducis, illam agens ætatem, viuente adhuc tuo sanguine, vsque adeò tuam fouere carunculam, non sentiens damna, quæ ex eâ oriuntur? Confide, confide: ecce ego agens annum ætatis sexagesimum, præter extrema manuum mearum, nihil vnquam laui; non pes meus aquam tetigit, non vultus, neque vllum ex membris meis, etiamsi me variæ inuaserint ægritudines. & cùm à medicis cogerer vti balneo, non induxi in animum carni reddere debitum, non in lecto quiescens, non lecticâ vsquam gestata ingrediens. Hæc cùm esset doctissima, doctrinam amore complexa, noctes mutabat in diem, omnia antiquorum qui commentarios ediderunt, scripta percurrens, Gregorij, & Stephanij, & Pierij, & Basilij, & quorundam aliorum præstantis virtutis virorum, vigintiquinque myriadum: non leuiter nec temere hæc percurrens, sed elaboratè, septies vel octies, vnumquemque librum perlegens; vt horum verborum gratiâ, in altum erigeretur, spe bonâ seipsam, auem efficiens spiritualem, & ad Christum euolans, immortales ab ipso acceptura renumerationes.



24. *Sancta Syluia.*



S. SARA VIRGO.

Ex Vitis Patrum.

ABBATISSA beatæ memoriæ virgo SARA, vitam eremiticam transegit in Ægypto, temporibus Imperatoris Theodosij senioris, in vastissimâ Scetes eremo, vbi Deo Angelisque nota, sæculo ignota vixit. Vnde pauca de eius vitâ perscripta sunt. Quod de eâ sequitur Vitæ Patrum nobis exhibent. Adeò studiosè oculos suos custodiße dicitur, vt supra alueum fluminis sexaginta annis habitauerit, & nunquã inclinata sit vt flumen ipsum aspiceret. Cùm tredecim annis ab impugnationibus dæmonum fortiter impugnaretur, nunquam orauit vt recederet à se huiusmodi pugna, sed solùm hoc dicebat: Domine, da mihi fortitudinem. Cùm aliquando ei infestior esset, imminens fortiùs, idem fornicationis dæmon, mittens in cogitationem eius sæculi vanitates; illa non relaxans animum à timore Dei & à proposito abstinentiæ suæ, adscendit super lectulum suum orare: & apparuit ei corporaliter spiritus fornicationis, & dixit ei: Tu me vicisti, SARA. Illa autem respondit: Ego non te vici, sed Dominus meus Iesus Christus. Venerunt aliquãdo duo senes de partibus Pelusij ad Abbatißam SARAM. Et cùm ambularent, dicebant ad inuicem: Humiliemus vetulam istam. Et dicunt ei: Vide, ne extollatur animus tuus, & dicas: Quia ecce solitarij viri veniunt ad me, quæ mulier sum. Et dixit eis Abbatissa SARA: Sexu quidem mulier sum, sed non animo. Iterum dixit Abbatißa SARA: Si poposcero à Deo, vt omnes homines ædificentur in me, iuuenior ante ianuas singulorum pœnitentiam agens: sed magis oro, vt cor meum cum omnibus purum sit.





25. Sancta Sara.

met bronzen beelden en ander beeld-

dedigd. De nationa